

*MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80404-1*

MICROFILMED 1991

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
“Foundations of Western Civilization Preservation Project”

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BECK, RICHARD GUSTAV

TITLE:

QUAESTIONUM IN
CICERONIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1877

Master Negative #

91-80404-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87CM

Z8

v.1

Beck, Richard Gustav, 1854-

Quaestionum in Ciceronis pro C. Cornelio
orationes, capita quattuor; dissertatio ...
quam ... scripsit Ricardus Gustavus Beck ...
Lipsiae, typis Sturmii, 1877.

57 p. 21 cm.

Thesis. Leipzig.

No. 1 of vol. of theses.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35m

REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 12/27/91

INITIALS RD

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910




301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Corrigenda.

- Pag. 10. v. 14. pro ,videmus' lege ,vidimus'.
- 17. - 2. — ⁵⁾ — ¹⁾
- — - 11. — ,fuerat' — ,fecerat'.
- 18. - 19. — ,sententiarus' lege ,sententiarum'.
- 20. - 3. — ,enuntianum' — ,enuntiatum'.
- 23. - 23. — ,commota' — ,summota'.
- 25. - 10. — ⁴⁾ — ³⁾
- — adn. v. 2. addendumest ⁴⁾
- 28. v. 5. pro ,Manicio' lege ,Minucio'.
- — - 33. — ,comingi' — ,coniungi'.
- 30. - 17. — ,interat' — ,intererat'.
- 31. - 13. — ,ob' — ,ab'.
- — adn. v. 3. pro ,confitor' ,profitor' lege ,confiteor' ,profiteor'.
- 38. v. 19. pro ,tribunata' lege ,tribunatu'.
- 42. - 7. — ,quo' — ,qua'.
- 47. - 29. — ,Calpurnia' — ,Calpurnia'.
- 49. - 29. — ,discplicere' — ,displicere'.



87CM
Z8
v.1

QUAESTIONUM

IN CICERONIS PRO C. CORNELIO
ORATIONES

CAPITA QUATTUOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

UNIVERSITATIS LIPSIENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

RICARDUS GUSTAVUS BECK

DRESDENSIS.

LIPSIÆ,

TYPIS STURMII ET KOPPEI (A. DENNHARDII)

MDCCLXXVII.

I.

De C. Corneli tribunatu.

De C. Corneli vita iis, quae tribunus plebis egit, exceptis a rerum scriptoribus nihil fere traditur. Ex plebeia quidem familia oriundus esse videtur, neque tamen qua in urbe vel quo anno natus sit dici potest. Id solum constat Cornelium hominem non improbum vita habitum esse.¹⁾ Quaestor autem fuerat Cn. Pompei²⁾; quo anno quaestura functus sit apud scriptores non legitur, sed tamen ante annum 685/69 quaestorem Pompei fuisse Cornelium mihi persuasum est, quoniam ab anno 685/69 usque ad annum 687/67 — quo quidem anno tribunatu Cornelius functus est — Pompeius privatus vitam degebat. Tribunus plebis fuit anno 687/67 C. Calpurnio Pisone M. Acilio Glabrione consulibus³⁾, quo in magistratu ita se gessit, ut iusto pertinacior esse videretur; complures enim leges tulit, ut optimatum auctoritatem minueret et plebi prodesset; quam ob rem a senatu prorsus alienatus est.⁴⁾

Quarum legum apud Asconium exstant tres, quarta ab Asconio silentio praeterita et a Cassio Dione tractatur et ab ipso Cicerone saepe commemoratur. Ceterum leges praeter has quattuor alias quoque promulgasse Cornelium, quibus plerisque collegae interesserunt, ex Asconi enarratione scimus.⁵⁾ — Ad leges illas inspiciendas transgrediamur.

¹⁾ Asc. p. 50 (ex rec. Kiesslingi et Schoelli. Berol. 1875). —

²⁾ Asc. p. 50. p. 54. — ³⁾ Asc. p. 50. — ⁴⁾ Asc. p. 50. — ⁵⁾ Asc. p. 52.

1. Quoniam ¹⁾ enim illis rei publicae temporibus exterarum nationum legatis et a senatoribus et ab equitibus Romanis persaepe magna pecunia usura dabatur, atque ex eo turpissima fiebant lucra Cornelius ad senatum retulit de rogatione quam promulgaturus erat ²⁾: „ne quis legatis exterarum nationum pecuniam expensam ferret.“ Sed illam relationem repudiavit senatus, — permulti enim senatorum in eius modi negotiis nummariis versabantur, — et satis ei rei cautum esse arbitratus est S. C. ante annos septem et viginti — anno 660/94 — L. Domitio C. Coelio consulibus factis, ³⁾ ex quo iam anno 635/69 Q. Caecilio Metello Q. Hortensio consulibus senatus decreverat „ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret.“ Nempe Cretenses, quibus M. Antonius curator orae maritimae bellum intulerat, quia in Romanos piratis auxilio fuerant, exercitum Romanum superaverunt, et ipso M. Antonio mortuo, quaestore atque exercitus magna parte captis ⁴⁾ anno 685 legationem Romam miserunt, ut, quoniam militum captorum vitae pepercissent, in pristinum a Romanis restituerentur. Et cum omnes fere, quos rebus in publicis administrandis multum valere sciebant, donis uberrimis ad suam causam adduxissent, non multum afruit, quin id, quod petierunt, assequerentur. Sed tandem senatus illud senatusconsultum anno 660/94 factum in memoriam sibi revocavit et decrevit, „ne quis Cretensibus pecuniam mutuam daret.“

Recte Langius ⁵⁾ exponit, necessariam rogationem Corneliam non fuisse; nam praetores vel provinciarum praesides ex illo S. C. civi Romano, qui pecuniam legato exterarum nationis mutuam datam repetivit, actionem dene-

¹⁾ v. Asc. p. 50. — ²⁾ Lange, Röm. Alterth. III. (2. Aufl.) 203 ff. — ³⁾ Asc. p. 50. Lange, Röm. Alterth. II. p. 410. — ⁴⁾ Cass. Dio fr. 111. Liv. ep. 97. Schol. Bob. p. 234. Pseudoasc. p. 206. — ⁵⁾ Lange, Röm. A. III. p. 204.

gare potuerunt. — Ceterum Cornelius ea repulsa valde offensus de illa re in contione questus est. ¹⁾

2. Alteram rogationem Cornelius de ambitu tulit: cuius promulgatio ab Asconio silentio praeterita a Cassio Dione ²⁾ commemoratur. Sed priusquam in ipsis rebus, quae hanc ad legem spectant, versemur, praemittenda nonnulla nobis erunt. Tribunicia enim potestate lege Licinia Pompeia restituta legem de ambitu L. Aurelius Cotta praetor anno 684/70 — ut mea quidem sententia recte Langius ³⁾ suspicatus est — tulerat et sine dubio iam quaestionem de ambitu perpetuam instituerat, apud Dionem ⁴⁾ enim legitur anno 686/68 C. Calpurnium Pisonem de ambitu accusatum esse. De genere poenae, qua lege Aurelia damnati afficiebantur, nihil certi potest afferri, sed tamen eandem poenam tulisse videntur, quae iam lege Cornelia Baebia (573/181) constituta erat, „ut magistratum petitione per decem annos abstinerent.“ ⁵⁾

Sed cum lege Aurelia damnati poenam darent mitiorem, ita, ut ambitus in dies ingravescere coepisset, ⁶⁾ C. Cornelius rogationem promulgavit de ambitu, quae poena gravissima eos qui erant in culpa affecti. ⁷⁾ Poena ipsa a scriptoribus non nominatur, sed tamen Langio ⁸⁾ assentiendum erit, qui Cornelium ut damnati per totam reliquam vitam ex urbe eicerentur sancire voluisse arbitratur. Neque vero id, quod omnibus in legibus de ambitu usque ad illud tempus latis neglectum erat, praetermisit Cornelius; cum enim intellexeret exstingui ambitum non posse nisi poena accessisset in divisores, ⁹⁾ qui can-

¹⁾ Asc. p. 50. — ²⁾ Cass. Dio 36. 38. — ³⁾ Lange: R. A. III. p. 193. — ⁴⁾ Cass. Dio 36. 38. 3. καὶ ὁ γε Πλωτὸν (καὶ) γράφει ἐπὶ τούτῳ. Lange: R. A. III. 193. — ⁵⁾ Schol. Bob. p. 361. Cic. pro Sulla 22. 63. — ⁶⁾ Cass. Dio 36. 38. 2. — ⁷⁾ Dio 36. 38. 4. — ⁸⁾ Lange: R. A. III. p. 213. — ⁹⁾ Cic. pro Corn. I. frgm. 40 (19) *).

*) Numeri uncis inclusi ad fragmentorum ordinem, quem Orellius instituit, alii ad meum qui sequitur ordinem, spectant.

didatos in corrumpenda multitudine adiuverunt, lege sua constituit, ut divisores quoque poenam quandam darent. Quamquam Cornelius frustra his rebus operam dedit. Senatus¹⁾ enim, cum existimaret poenis illis rogationis Corneliae gravissimis mox et accusatores ab accusando et iudices a condemnando deterritum iri, rogationem illam repudiavit, sed quoniam comitiorum consularium tempus appropinquavit atque eo anno M. Lollius Palicanum hominem seditiosissimum²⁾ Cn. Pompeio amicissimum consulatum petere patres certiores facti sunt, consulibus, ne Lollius summum caperet imperium, mandaverunt, ut ipsi de ambitu consularum legem ferrent, quod, cum interim M. Acilius Glabrio in Bithyniam profectus esset, C. Calpurnius Piso solus legibus Aelia et Fufia, ut satis haberet temporis ad legem ferendam, solutus³⁾ suscepit.

Lex autem Calpurnia primum condemnatos et pecunia multavit et in perpetuum honoribus carere iussit,⁴⁾ — sed tamen Romae iis morari licuit; deinde — id quod iam Cornelius instituerat — divisores quoque punivit;⁵⁾ denique, ut ipsi ambitus damnati, si alios in eo comprehendissent, in integrum restituerentur et iuris honorum denuo participes fierent, constituit.⁶⁾

Neque tamen haec lex populo placuit,⁷⁾ nam die illo, quo lex erat perferenda, tumultus est ortus. Erat enim plebs offensa senatui, quod legem tribuniciam repudiasset ac divisores, quorum magnus aderat in foro numerus, inimicissimi C. Calpurnio consuli, quod quos honoris sui ministros habuisset — nam C. Calpurnium Pisonem accusatum de ambitu esse iam vidimus — poena ambitus

¹⁾ Drummann: *Gesch. Roms* II. p. 94. Lange: *R. A.* III. p. 204. Dio. 36. 38. 4. — ²⁾ Val. Max. 3. 8. 3. — ³⁾ Cass. Dio 36. 39. 1. Lange: *R. A.* III. p. 213. — ⁴⁾ Asc. p. 61. Schol. Bob. p. 361. Lange: *R. A.* III. p. 213. — ⁵⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 40 (19). — ⁶⁾ Cic. pro Clu. 36. 98. — ⁷⁾ Cic. pro Corn. 1. 40 (19).

vellet affligere,¹⁾ ipsum consulem eiecerunt e foro; tum ille hanc vocem misit: „ut, qui rem publicam salvam esse vellent ad legem accipiendam adessent,“ ac maiore manu stipatus rursus descendit in forum et legem pertulit.

Priusquam ad tertiam legem Corneliam transeo, restat, ut, Langi sententia, cui me prorsus assentiri confiteor, modo prolata, ea refutem verbis quam brevissimis, quae Zumptius legibus de ambitu et Cornelia et Calpurnia constituta esse arbitratur. Sunt autem Zumpti²⁾ quae huc spectant verba haec:

„Der Volkstribun C. Cornelius hatte durch Schärfung der Strafe der Candidaten den ambitus unterdrücken wollen; der Senat verlangte Bestrafung auch der Gehülfen beim Bestechen, der divisores, ohne welche es den Candidaten nicht möglich gewesen wäre, die Bestechung bei den Wahlen vorzunehmen, daher der Zorn des Volkes, das durch Aufruhr die Annahme des Gesetzes zu hindern suchte.“

Quae quidem sententia ut confirmetur in adnotatione affert haec: „Hierauf geht das Fragment aus Cic. p. Cornelio I. 34 (ex Orelli ordine) „... divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affigere.“ Es bezieht sich auf C. Piso, der bei seiner Wahl unerlaubte Mittel angewendet hatte und trotzdem die divisores strafen wollte. Eben darauf wird man also auch das aus Cic. pro Corn. apud Asc. p. 74 (ex rec. Kiesslingi et Schoelli p. 66) angeführte Fragment zu beziehen haben, aus dem man mit Unrecht schloß, auch Cornelius hätte sein tribunicisches Gesetz gegen die divisores gerichtet.

Primum autem in eo Cornelianae prioris fragmento, quod apud Marcianum Capellam exstat de sola lege Cal-

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 39 (34) apud Marc. Cap. p. 161 ed. Eyssenhardt. Asc. p. 67. Cic. pro Corn. 1. 45 (22). Lange: *R. A.* III. p. 213. — ²⁾ Zumpt, *Criminalrecht* II. 2. p. 225.

urnia dicitur, quare nihil ex eo concludi potest ad legem Corneliā pertinens. Deinde equidem prorsus non intellego, quidni Ciceronis verba: ¹⁾ „Quare cum hoc populus Romanus videret et cum a tribunis plebis doceretur, nisi poena accessisset in divisores extingui ambitum nullo modo posse, legem hanc Corneliā flagitabat, illam, quae ex S. C. ferebatur, repudiabat“ — ad legem Corneliā spectent. Immo vero absurda primo fere obtutu tota Zumpti est ratiocinatio, si haec, quibus manifestum est Ciceronem de divisoribus lege Cornelia puniendis verba facere, accurate inspexeris. Accedit, quod ipse Cicero eo loco addit iure populum tribuniciam legem flagitasse, cum anno post duo consules designati accusati ambitus condemnati essent; — id quod sane vix factum esset, si lex Cornelia esset accepta. Quam ob rem Zumpti sententiam reprobendam esse censeo. —

3. C. Cornelius ea repulsa senatui maxime offensus, tertiam promulgavit legem, ne quis nisi per populum legibus solveretur. ²⁾ Id enim iam antiquo iure cautum erat, quare in omnibus S. C., quibus aliquis legibus solvebatur, adiectum erat: ut de ea re ad populum ferretur; sed ea aetate res in eum morem venerat, ut postremo ne adiceretur quidem in eius modi S. C., quae saepe per paucos fiebant senatores, de rogatione ad populum ferenda. ³⁾

Quam ob rem id quod more maiorum populi ius erat ei reddere Cornelius studuit.

Aegre autem rogationem illam Corneliā senatores potentissimi, quorum auctoritas ea lege minuebatur, tulerunt. Quare, ne lex acciperetur, P. Servilium Globulum ⁴⁾ trib. pl. moverunt, ut collegae intercederet. Ubi igitur dies legis ferundae advenit et praeco subiciente scriba rogationis verba populo pronuntiare coepit, P. Servilius

¹⁾ Cic. pro Corn. I, 40 (19). — ²⁾ Cass. Dio. 36. 39. 2. Asc. p. 51. — ³⁾ Asc. p. 51. — ⁴⁾ Asc. p. 51.

scribam subicere, recitare praeconem vetuit; quapropter iratus Cornelius codicem ipse populo recitavit. ¹⁾ Quodsi P. Servilius collegam legem recitantem interpellasset, tribuniciam violasset potestatem, sed tamen ipse C. Cornelius eam violaverat, quia collegam impediverat, ne intercedere posset.

Improbe igitur id a Cornelio factum esse L. Piso consul statim questus est; quae cum verba fecisset, tumultus ortus est, ac populus magno convicio consulem excepit; et cum ille iussisset ²⁾ eos qui manus intentabant prendi a lictoribus, non solum fasces a multitudine furibunda lictoribus fracti, sed etiam lapides ab ultima contione in consulem iacti sunt. Quo tumultu perturbatus Cornelius, quo invito haec omnia facta esse videntur, contionem dimisit. ³⁾ Neque tamen omnia, quae lege sua instituire voluerat, irrita fuerunt; senatus enim, cum intellegeret iram incitati populi, nisi quid concederetur, sedari non posse, Cornelio mandavit, ut eadem de lege aliquanto mutata accipienda referret. ⁴⁾ Quapropter Cornelius legi suae addidit, ne quis S. C. legibus solveretur, nisi CC affuisent, neve quis eum quis ita solutus esset, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur, quod invitis sane plebisque optimatum sine ullo tumultu acceptum est. —

4. Quarta rogatione Cornelius constituit, ut praetores edictis suis perpetuis ius dicerent. ⁵⁾ Quamquam enim praetoribus in magistratu ineundo edictum erat perficiendum et in conspectum populi dandum, ut, quibus rationibus ius diceretur, omnes scirent, tamen his ipsis temporibus saepe evenit, ut aliter ac scriptum erat ius a praetoribus diceretur. Cn. enim Dolabellam ⁶⁾, L. Cornelium Sisen-

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. 5 apud Quint. 4. 4. 8. — ²⁾ Dio. 36. 39. 4. Asc. p. 51. — ³⁾ Cic. Vat. 2. 5. Asc. p. 51. — ⁴⁾ Cic. pro Corn. 1. 31 (15). Asc. p. 64. Cass. Dio. 36. 39. 4. Saugé: R. N. III. p. 214. 215. — ⁵⁾ Asc. p. 52. Cass. Dio. 36. 40. 2. — ⁶⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 36 (17). Asc. p. 65.

nam,¹⁾ C. Verrem praetores non rite ex edictis ius dixisse, ex Ciceronis verbis perspicui potest. Quibus causis permotus Cornelius legem suam promulgavit, quam, etsi accepta est, tamen invitis tulit optimatibus.²⁾

Ceterum C. Cornelius praeter has quattuor rogationes alias quoque tulisse, quibus plerisque collegae intercesserunt, iam dixi; quales fuerint rogationes, nescimus.

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 37 (18). — ²⁾ Asc. p. 52.

II.

De causa Corneliiana.

A. De accusatore. De priore iudicio disturbato.

Sequenti anno — 688/66 — M. Aemilio Lepido L. Volcatio Tullo consulibus, quo M. Tullius Cicero praetor fuit, C. Cornelius tribunicius lege Cornelia de maiestate accusatus est.¹⁾

Accusaverunt autem duo fratres Cominii equites Romani Spoletini,²⁾ quorum alter cui praenomen erat Publio, nomen detulit, alter subscripsit. Cuius de subscriptoris praenomine ambigitur propterea, quod, quamquam ipse Cicero in oratione pro Cluentio³⁾ habita praenomen ei fuisse Lucio dixit, tamen Asconius⁴⁾ eum Gaium nominat; quo adductus Drumannus⁵⁾ et Bruecknerus⁶⁾ duobus fuisse fratribus praenomina et Publio et Gaio censent.

Neque tamen hac in re Asconium sequor, sed Cicero, qui eodem anno 688/66 Cluentium defendit, assendum esse arbitror. Itaque errore quodam captus Asconius, id quod facillime fieri potuit, pro 'Lucio' 'Gaium' (L. C.) scripsisse videtur. Ceterum ipsum Ciceronem magni aestimasse Cominius duobus intellegitur locis laudatis,⁶⁾ quibus homines eos fuisse honestissimos ac disertos dicit.

Exeruit autem iudicium de Cornelio maiestatis reo

¹⁾ Asc. p. 52. Cic. Brut. 93. 321. Lange: R. A. III. 220. —

²⁾ Asc. p. 52. Cic. Brut. 78, 271. — ³⁾ Cic. pro Clu. 36. 100. —

⁴⁾ Asc. p. 52. — ⁵⁾ Drumann: Gesch. Roms II. 613. Brückner: Leben Cicero's I. 163. — ⁶⁾ Cic. pro Clu. 36. 100. Brut. 78. 271.

P. Cassius ¹⁾ praetor; id enim praenomen ei praetori fuisse, Asconio testimonio confirmatur. Sed cum ab eodem Asconio ²⁾ duobus annis post — 690/64 — L. quendam Cassium Longinum inter competitores, quos Cicero habuit in consulatus petitione, fuisse commemoratur, Drumanno ³⁾ primo persuasum erat, hunc L. Cassium ante duos annos quam consulatum peteret, praetorem iudicium Cornelianum exercuisse. Cuius quidem sententiam secutus est Haakhius ac nuper Hoelzelius qui ad tollendas has difficultates affert haec: „Tum ‚Lucii‘ non ‚Publi‘ praenomen, quod ab Asconio solo uno tantum loco traditur, huic praetori erat. Itaque recte iam Manutius, Sigonius pro ‚P‘ littera ‚L‘ scripsisse videntur, quoniam Asconius aliis quoque locis — id quod modo videmus — in praenominibus erravit.“ Equidem, quamquam minime parvi auctoritatem Asconio aestimo, tamen eum hoc in praenomine errasse censeo.

L. igitur Cassius praetor, quamquam decimo die, ut mos erat, adesse et accusatorem et reum iusserat, tamen eo die afuit, ⁴⁾ seu — ut ait Asconius — propter publici frumenti curam, seu gratificans reo; sed frumenti cura sine dubio simulata erat.

Neque tamen bono eventu id Cominiis fuit, multitudo enim a notis operarum ducibus, ⁵⁾ inter quos C. Manilius tribunus plebis primas egisse partes videtur, incitata impetus in Cominius fecit, iisque circumventis ante tribunal mortem intentavit, si ab accusatione non desisterent. Tantaeque ira populi in Cominius erat, ut ne consulum quidem, qui advocati reo aderant, interventu tumultus prorsus sedaretur. Itaque quam celerrime, ut saluti suae

¹⁾ Asc. p. 52. — ²⁾ Asc. p. 83. — ³⁾ Drumann: *Gesch. R.* II. 160. Haakh in *Paulyi encycl. real.* II. 200. Hölzl: *Fasti praetorii.* Lps. 1876. p. 35. — ⁴⁾ Asc. p. 52. *Plut. Cic.* 9. — ⁵⁾ Asc. pp. 52. 53. *Cic. pro Corn.* 1. fr. 14 (44) apud *Arus.* p. 213. — ⁶⁾ Asc. p. 53.

consulerent, in scalas quasdam Cominii confugerunt, ¹⁾ ubique clausi per noctem se occultaverunt et prima luce per vicinarum aedium tecta effugerunt. ²⁾

Proxima autem die, quo L. Cassius praetor ad exercendum iudicium aderat, cum accusatores citati abessent, ex reis Corneli nomen exemptum est. ³⁾ Ceterum Cominiis fuga illa ex urbe non modo non profuerat, verum etiam fuerat infamiae; nam silentium pecunia vendidisse existimabantur. ⁴⁾

Disturbato igitur iudicio per aliquod dies periculum a Cornelio prohibitum esse apparuit, sed nihilominus tatum se fore ab adversariorum odio sperare non potuit, namque et optimatum animi multo ei fiebant infestiores et Cominii suspicionem acceptae pecuniae a se removere studuerunt. —

B. De posteriore iudicio Corneliano anno 689/65 exercito.

Sequenti anno P. Cominius ⁵⁾ cum ab optimatibus adductus, tum infamiae acceptae pecuniae tollendae studiosus iterum C. Cornelium maiestatis accusavit. Quaeritur utrum Lucius P. Comini frater subscripserit, necne; apud scriptores enim, ⁶⁾ qui has res tractant, solus nominatur P. Cominius ita, ut dubitatio hac de re fieri possit. Sed dicit sane Asconius paucis versibus ante ⁷⁾ anno 688/66 detulisse nomen Pablium, subscripsisse fratrem; quod cum omnium in mentibus esse putaret, fortasse hoc loco, qui nonnullis tantum versibus ab eo, quem modo contuli, separatus est, omnia iam exposita repetere noluit. Nullus quidem locus apud rerum scriptores invenitur, qui huic sententiae obstet. Atque viam ad explicandam illam am-

¹⁾ *Cic. pro Corn.* I. 11 (49). 12 (50). 13 (51). — ²⁾ Asc. p. 52. — ³⁾ Asc. p. 52. cf. *Zumpt: Röm. Criminalprozess* p. 432. — ⁴⁾ Asc. p. 52. — ⁵⁾ Asc. p. 53. 55. — ⁶⁾ Asc. p. 53. 55. *Cic. Brut.* 78. 271. — ⁷⁾ Asc. p. 52. vv. 14 et 15.

P. Cassius ¹⁾ praetor; id enim praenomen ei praetori fuisse. Asconi testimonio confirmatur. Sed cum ab eodem Asconio ²⁾ duobus annis post — 690/64 — L. quendam Cassium Longinum inter competitores, quos Cicero habuit in consulatus petitione, fuisse commemoretur, Drumanno ³⁾ primo persuasum erat, hunc L. Cassium ante duos annos quam consulatum peteret, praetorem iudicium Cornelianum exercuisse. Cuius quidem sententiam secutus est Haakhius ac nuper Hoelzelius qui ad tollendas has difficultates affert haec: „Tum ‚Lucii‘ non ‚Publi‘ praenomen, quod ab Asconio solo uno tantum loco traditur, huic praetori erat. Itaque recte iam Manutius, Sigonius pro ‚P‘ littera ‚L‘ scripsisse videntur, quoniam Asconius aliis quoque locis — id quod modo videmus — in praenominibus erravit.“ Equidem, quamquam minime parvi auctoritatem Asconi aestimo, tamen cum hoc in praenome errasse censeo.

L. igitur Cassius praetor, quamquam decimo die, ut mos erat, adesse et accusatorem et reum iusserat, tamen eo die a fuit, ⁴⁾ seu — ut ait Asconius — propter publici frumenti curam, seu gratificans reo; sed frumenti cura sine dubio simulata erat.

Neque tamen bono eventu id Cominius fuit, multitudo enim a notis operarum ducibus, ⁵⁾ inter quos C. Manilius tribunus plebis primas egisse partes videtur, incitata impetus in Cominius fecit, iisque circumventis ante tribunal mortem intentavit, si ab accusatione non desisterent. Tantaeque ira populi in Cominius erat, ut ne consulum quidem, qui advocati reo aderant, interventu tumultus prorsus sedaretur. Itaque quam celerrime, ut saluti suae

¹⁾ Asc. p. 52. — ²⁾ Asc. p. 83. — ³⁾ Drumann: *Gesch. R. II.* 160. Haakh in Paulyi *encycl. real.* II. 200. Hözl: *Fasti praetorii.* Lps. 1876. p. 35. — ⁴⁾ Asc. p. 52. Plut. Cic. 9. — ⁵⁾ Asc. pp. 52. 53. Cic. pro Corn. 1. fr. 14 (44) apud Arus. p. 213. — ⁶⁾ Asc. p. 53.

consulerent, in scalas quasdam Cominii confugerunt, ¹⁾ bique clausi per noctem se occultaverunt et prima luce per vicinarum aedium tecta effugerunt. ²⁾

Proxima autem die, quo L. Cassius praetor ad exercendum iudicium aderat, cum accusatores citati abessent, ex reis Corneli nomen exemptum est. ³⁾ Ceterum Cominii fuga illa ex urbe non modo non profuerat, verum etiam fuerat infamiae; nam silentium pecunia vendidisse existimabantur. ⁴⁾

Disturbato igitur iudicio per aliquod dies periculum a Cornelio prohibitum esse apparuit, sed nihilominus tutum se fore ab adversariorum odio sperare non potuit, namque et optimatum animi multo ei fiebant infestiores et Cominii suspicionem acceptae pecuniae a se remove studuerunt. —

B. De posteriore iudicio Corneliano anno 689/65 exercito.

Sequenti anno P. Cominius ⁵⁾ cum ab optimatibus adductus, tum infamiae acceptae pecuniae tollendae studiosus iterum C. Cornelium maiestatis accusavit. Quaeritur utrum Lucius P. Comini frater subscripserit, necne; apud scriptores enim, ⁶⁾ qui has res tractant, solus nominatur P. Cominius ita, ut dubitatio hac de re fieri possit. Sed dicit sane Asconius paucis versibus ante ⁷⁾ anno 688/66 detulisse nomen Publum, subscripsisse fratrem; quod cum omnium in mentibus esse putaret, fortasse hoc loco, qui nonnullis tantum versibus ab eo, quem modo contuli, separatus est, omnia iam exposita repetere noluit. Nullus quidem locus apud rerum scriptores invenitur, qui huic sententiae obstet. Atque viam ad explicandam illam am-

¹⁾ Cic. pro Corn. I. 11 (49). 12 (50). 13 (51). — ²⁾ Asc. p. 52. — ³⁾ Asc. p. 52. cf. Zumpt: *Röm. Criminalprozess* p. 432. — ⁴⁾ Asc. p. 52. — ⁵⁾ Asc. p. 53. 55. — ⁶⁾ Asc. p. 53. 55. Cic. Brut. 78. 271. — ⁷⁾ Asc. p. 52. vv. 14 et 15.

biguitatem huic quam modo protuli simillimam Zumptius¹⁾ quoque ingressus esse videtur verbis haece: ‚Allerdings erwähnt Asc. p. 62 (p. 54 ex rec. Kiesslingi et Schöllii) nur den einen P. Cominius, dessen Rede später existierte, aber es kann kaum ein Zweifel sein, daß ihn, wie früher, sein Bruder Lucius unterstützte.‘ —

Exercuit autem iudicium Q. Gallius²⁾ praetor, quem quidem ambitus reum Ciceronem defendisse scimus. Is enim aedilitatis³⁾ munere functus anno 687/67, cum bestias non habuisset, post annum candidatus praeturae repente gladiatores dedit professus se patri suo illum honorem dare.⁴⁾ Quapropter accusatus est ambitus a. M. Calidio oratore, quem inter multos prope singularem fuisse oratorem ex Ciceronis⁵⁾ verbis cernimus. Sed tamen, si omnia quae et hoc loco et apud Valerium Maximum⁶⁾ ea de re dicuntur, accurate spectaveris, non modo ambitum, sed etiam alias res Gallio crimini datas esse putabis. Commemorantur enim et venenum et chirographa et multa alia, e quibus concludi potest neque Ciceronem neque Valerium de solo ambitus crimine cogitare. Quare sententia Zumptii quam hac de causa Galliana profert digna esse videtur, quae recipiatur; sunt enim illius verba haec: ⁷⁾ ‚Dies (die Gladiatorenspiele) war der Anlaß zu seiner Anklage, aber außerdem wurde dem Ankläger ein Vergiftungsverjuch gegen den Ankläger vorgeworfen.‘

Sed tamen altera difficultas oritur, si cum Asconii verbis p. 78 ea comparamus, quae apud Q. Ciceronem⁸⁾ exstant. Adnotat enim Asconius ad fragmentum laudatum⁹⁾ orationis in toga candida habitae haec:

¹⁾ Zumpt: Röm. Criminalprozeß p. 507 adn. 1. — ²⁾ Asc. p. 54. — ³⁾ De Q. Gallio plebeia aedilitate functo Hölzeli inspicias librum laudatum p. 40. — ⁴⁾ Asc. p. 78. — ⁵⁾ Cic. Brut. 80, 277, 79, 264. — ⁶⁾ Val. Max. 8. 10. 3. — ⁷⁾ Zumpt: Röm. Criminalprozeß p. 529. — ⁸⁾ Q. Cicero de pet. c. 5. 19 (ed. Bücheler). — ⁹⁾ Cicero in toga c. apud Asc. p. 78: ‚alter induxit eum, quem potuit, ut repente

Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur sq.‘ Quibus ex verbis Asconium, quoniam magistratus populi Romani accusari nullo modo potest, putavisse Gallium praeturae functum aut ipso anno 690/64, aut postea a Cicerone defensum esse concluditur.

Contra, si inspiciamus locum, qui apud Q. Ciceronem exstat, Asconius errasse videtur, nam Q. Cicero eo loco viros enumerat quattuor, quos Marcus frater sibi obligaverit, C. Fulcanium, Q. Gallium, C. Cornelium, C. Orchivium; quorum in causis ad fratrem deferendis ipse Quintus — ut ait — interfuit. Commentariolum autem illud de petitione consulatus scriptum esse initio anni 690/64 a Büchelero firmis demonstratum est argumentis,¹⁾ quare negari vix potest illas causas, de quibus Quintus loco laudato disserit, iam esse peractas eo tempore, quo oratio in toga candida habitata est. Huc accedit, quod in enumerandis quattuor illis nominibus certus temporum ordo institutus est: quare Gallium iam anno 688/66 praeturae candidatum a Cicerone defensum esse apparet. —

Quaeritur igitur, utrum Quinto, an Asconio maior sit tribuenda auctoritas; sunt enim, qui Asconio summam his in rebus tribuentes auctoritatem anno 690/64 Gallium absolutum esse contendunt, e quibus affero et Pideritum²⁾ et Halmium, qui eo adductus in illo Turicensis editionis volumine, quo deperditarum orationum Ciceronis fragmenta exstant, Gallianae fragmenta post orationis in toga candida habitatae fragmenta collocat.

Contrariam sententiam Langius³⁾ profert, cui iam anno 688/66 causam Gallianam a Cicerone esse actam persuasum est, idque, mea quidem opinione, summo iure,

gladiatores populo non debitos polliceretur; eos ipse consularis candidatus perspexit et legit et emit; praesente populo Romano factum est.‘ — ¹⁾ Bücheler: prolegg. ad Q. Ciceronis reliquias p. 3. — ²⁾ Piderit: index ad Cic. Brutum p. 234. — ³⁾ Lange: Röm. X. III. 227. v. adn. 12.

quoniam multo maioris auctoritatis in omnibus rebus, quae tribus illis annis 688/690 factae sunt, Q. Ciceronis testimonium, quam Asconi esse arbitror. Itaque Asconium haec in re errasse constat.

Restat, ut verba nonnulla faciam de eorum sententia, qui, quoniam Asconi auctoritatem minuere non audent, interpretatione artificiosissima eandem fuisse sententiam de iudicio Galliano anno 688/66 exercito Asconio ac Q. Ciceroni demonstrare student. Cuius sententiae auctor est Brücknerus¹⁾ quem secutus est Zumptius.²⁾

Dicit autem Brücknerus loco collato:

„Zu den Worten des Cicero ‚alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur‘ etc. bemerkt Asc. p. 88 (p. 78 edit. laudatae) ‚Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit, significare videtur.‘ Postea aber nicht zu erklären als post hanc orationem in toga candida habitam, sondern postea, quam gladiatores populo non debitos pollicitus est.‘

Zumptii verba sunt haec: ‚Diesen Proceß erwähnt D. Cicero als schon beendet, ihm widerspricht nicht Asc. p. 88 (78), der zur 64. v. Chr. gehaltenen Rede Ciceros in toga candida bemerkt ‚Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit‘ etc. Denn dieses postea bezieht sich auf die dort erwähnten Fehterspiele, nicht auf Ciceros Rede.‘

Quae quidem sententia nullo modo ferri potest, namque haec interpretatio postea vocabuli non respondet Asconiano sermoni. Verbis enim „quem postea reum ambitus defendit“ ex Asconi quidem genere dicendi simplicissimo nihil aliud significatur, nisi ‚Gallium, quem post orationem illam habitam defendit.‘ Quae cum ita sint multa verba haec de sententia facere supervacaneum esse censeo.

¹⁾ Brückner: Leben Cicero's I. p. 174. adn. 2. — ²⁾ Zumpt: Criminalproceß p. 529 adn. 4.

Denique quam brevissime ad Bücheleri sententiam, quam vir ille doctissimus hoc de loco protulit, aliquid addam. Sunt autem eius verba haec:¹⁾ ‚(nam) Cicero quae consularis candidatus in Catilinam dicit, alter induxit eum, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur‘ his verbis Asconius cum videri adnotavit significari Q. Gallium, quem postea reum ambitus defendit non potest virum clarissimum non fefellisse memoria. Nempe eos Cicero gladiatores commemorat, quos Catilina anno 689/65 vel 690/64, ut populo nescio quis polliceretur, effecerit, Gallius vero suos gladiatores ante annum 689/65 non promiserat solum, sed etiam exhibuerat.‘

Equidem hanc sententiam, quamvis ingeniose excogitata sit, propterea comprobare non possum, quod, si tam negligenter Asconium res, de quibus agitur inquisivisse pro certo haberemus, illius auctoritas sane nulla fere esset. Quamobrem, id quod Langio persuasum erat, Asconium in sola temporis, quo esset Galliana causa acta, significatione errasse puto.

Ceterum de emendando illo Asconiano loco prorsus nobis desperandum est, quoniam sane audacius esset pro ‚postea‘ ‚antea‘ — quod solum fuisset vocabulum huic sententiarum conexui aptum — in textum recipere.

Defensus igitur a Cicerone Q. Gallius praetor designatus est extremo anno 688/66. —

Sed materiam institutam pertractare pergamus. Maestus Cornelius erat ac perterritus exitu C. Manili²⁾ — quem initio anni 689/65 maiestatis reum condemnatum esse proxima in commentationis parte narrabimus; — quare paucos admodum homines in iudicium adhibuit, ut ne clamor quidem ab advocatis exoreretur.³⁾ Rem autem

¹⁾ v. Bücheleri adnotat. ad Q. Cic. pet. 5. 19. — ²⁾ Asc. p. 53. — ³⁾ Asc. p. 53.

ipsam magna esse actam expectatione atque ex S. C. ipsos consules iudicio praesedis ab Asconio comperimus.¹⁾

Defensoris partes Ciceronem hac in causa suscepisse notum est; id unum autem quaerendum est, quo impulsus Cicero Cornelium defenderit; et mihi quidem in mentem venit Cornelium quaestorem fuisse Cn. Pompei Magni illis temporibus Ciceroni amicissimi, qui ea aetate, qua causa acta est, procul ab Italia cum Mithridate bellum gessit; cui ut gratificaretur Cicero reo adfuisse videtur.

Sed quaeritur quo tempore anni 689/65 Cornelia causa acta sit. Quamquam de certo mense significando, quo id factum est, desperandum nobis est.

Post Septembrem enim mensem anni 689 Cicero Cornelium non defendit propterea, quod eo tempore Romae non erat. Ipse enim Atticum²⁾ certiore facit se mense Septembri in Galliam profecturum et usque ad mensem Ianuarium anni 690/64 mansurum esse, ut perspiciat Gallorum nobilium voluntates. Deinde eadem in epistula ad Atticum Cicero se prensandi intium facturum esse in campo comitiis tribunicis a. d. XVI. Cal. Sext. confitetur; inquirendum igitur nobis est, utrum eo temporis spatio quod est inter hunc diem ac mensem Septembrem Cicero Cornelium defenderit, necne. Dubium sane id est, namque ipse Cicero eadem in epistula dicit: ‚cum Romae a iudiciis forum³⁾ refrixerit, excurremus mense Septembri etc.‘ neque tamen hanc causam comitorum, quibus magistratus creabantur, tempore esse peractam putem. Comitio-

¹⁾ Asc. p. 53. Verba quae in codicibus leguntur: ‚cum prima pars . . . Manilius qui iudicium per operarum duces turbaverat, deinde quod ex S. C. . . . iudicio, non respondisset etc.‘ verti vel explicari vix possunt. Coniecturam meam, cum proxima in libelli parte expositurus sim, nunc id solum afferam, versum transpositionem hoc loco necessariam esse me putare, quo fit, ut verba ‚deinde quod ex S. C. ambo consules praesidebant ci iudicio‘ non ad Manilium, sed ad Cornelium spectent. — ²⁾ Cic. ad Att. 1. 1. 2. — ³⁾ ad Att. 1. 1. 2.

rum enim illorum temporibus Romae iudicia talia, quale Cornelianum non exercebantur.⁵⁾

Itaque supersunt septem fere anni 689 menses, quibus iudicium illud exercitum esse existimari potest; sed cum causa Manili maiestatis rei initio anni 689 peracta sit, Ianuario mense, immo Februario Cornelium a Cicerone defensum esse vix arbitror. Quae cum ita se habeant mihi persuasum est Ciceronem Cornelium nisi eo temporis spatio, quod est inter Martium mensem atque Quintilem anni 689 non defendisse. Ceterum Cominius lege Cornelia de maiestate reum, sicut ante annum, fuerat²⁾; iudices constituti sunt ex lege iudiciaria Aurelia,³⁾ quae lex iudicia inter tres ordines communicavit senatores equites tribunos aenarios; et quoniam Pompei quaestor Cornelius fuerat atque ipse P. Servilius Globulus, in quo maiestas tribunicia imminuta erat, reo aderat, duas iudicum partes et equites et tribunos aenarios Cornelius suas habuit. Ipse quoque M. Licinius Crassus, qui lege de tribunicia potestate restituenda, quam consul cum Cn. Pompeio anno 684/70 tulerat, in summo populi favore erat, inter iudices fuisse fertur.⁴⁾

Ex senatorum factione cuius auctoritatem Cornelius rogationibus suis imminuere voluerat, infestissimi reo principes erant civitatis,⁵⁾ qui longe plurimum in senatu valebant Q. Hortensius Q. Catulus Q. Metellus Pius M. Lucullus M. Lepidus consulares atque inimici tribuniciae potestatis.⁶⁾ Testimonia autem in reum dederant ac dixerant se vidisse Cornelium codicem pro rostris recitantem, quod antea nemo fecisset: tolli intercessionem, si id tribunis permitteretur. Ceterum illa testimonia a Cicerone ea ratione refutantur, ut ab inimicis popularium partium et tribuniciae potestatis ea data esse demonstret Solus

¹⁾ Zumpt, Criminalprozeß p. 122. — ²⁾ Asc. p. 54. — ³⁾ Asc. p. 54. p. 59. — ⁴⁾ Asc. p. 67. — ⁵⁾ Asc. p. 53. — ⁶⁾ Asc. p. 53. p. 70. Cic. pro Corn. II. fr. 3 (3).

igitur Cicero defensionem Corneli suscepit et quadriduo illum defendit, quas actiones in duas orationes contulit,¹⁾ quarum fragmenta nobis praesto sunt. Ars vero, qua Cicero hac in defensione usus est iam a veteribus grammaticis et rhetoribus summis exornata est laudibus; inspicias, quaeso, verba quae Quintilianus²⁾ de ea profert:

„Cultu vero atque ornatu se quoque commendat ipse, qui dicit, et in ceteris iudicium doctorum, in hoc vero etiam popularem laudem petit, nec fortibus modo, sed etiam fulgentibus armis proeliatur. An in causa C. Corneli Cicero conscentus esset docendo iudicem tantum et utiliter demum ac latine perspicueque docendo, ut populus Romanus admirationem suam non adclamatione tantum, sed etiam plausu confiteretur?“

Sed ab Asconio³⁾ quoque ars et scientia laudantur quibus dignitatem clarissimorum civium contra quos dicebat neque violavit, neque eorum auctoritate reum laedi passus est. Mirum igitur non est, quod Ciceronis potissimum arte magno sententiarum numero Cornelius absolutus est.⁴⁾

Breviter mihi liceat dicere de oratione accusatoris P. Comini, quam in manus sumendam esse ipse Asconius⁵⁾ confitetur. Artem autem dicendi, qua Cominius usus est, Ciceronem laudasse, iam antea vidimus, quare dolendum id est, quod oratio illa nobis in manibus non est neque apud rerum grammaticarum vel rhetoricarum scriptores hac de Comini oratione quidquam invenitur. Et mihi hac de oratione deperdita in fragmentis orationum pro Cornelio, quae supersunt, ordinandis cogitanti duo loci offensioem praebuerunt, ita, ut vix putarem, illos e Ciceronis ipsius sententia esse dictos. Quorum prior exstat apud Quintilianum; ⁶⁾ sunt autem verba haec:

¹⁾ Asc. p. 54. Plin. ep. I. 20. 8. — ²⁾ Quint. 8. 3. 2. — ³⁾ Asc. p. 53. — ⁴⁾ Asc. p. 72. — ⁵⁾ Asc. p. 54. — ⁶⁾ Quint. 4. 4. 8.

est et nuda propositio, qualis fere in coniecturalibus caedis ago, furtum obicio,¹⁾ est ratione subiecta, ut: „maiestatem minuit Cornelius, nam codicem tribunus plebis ipse pro contione legit.“

Haec autem verba, quae in omnibus editionibus desunt, ad orationes pro Cornelio pertinere primus Halmius¹⁾ suspicatus est; neque tamen contendere ausim, ex ipsius Ciceronis sententia id esse dictum, ab Asconio²⁾ enim narratur Ciceronem concessisse quidem Cornelium legis codicem legisse, sed tamen negasse illum, propterea, quod legisset maiestatem populi Romani minuisse. Et mihi hac in quaestione ambigua in mentem venit Ciceronem saepissime in orationibus hunc morem esse secutum ut incipiens ab argumento accusatoris suam ipsius sententiam explicaret; multa eius moris exempla, potissimum ex oratione pro Sulla, possum afferre; e quibus haec sola commemoro.

1. 3. „Ita“ inquit „tu enim investigasti, tu patefecisti coniurationem. 21. 60. „Diiunxit“ inquit „eos a colonis, ut hoc discidio ac dissentione facta oppidum in sua potestate, posset per Pompeianos habere.“

Discrimen saepe est inter hunc locum, quem tractamus, atque eos, quos modo contuli; deest enim illi verbum „inquit.“ Qua ex re concludi potest verbis ipsis, quae Cominius fecerit, Ciceronem non uti. Sed negari nullo modo potest argumentum illud quod Cominius longiore fortasse orationis suae parte exposuerat, Ciceronem afferre atque ab eo incipientem suam hac de re sententiam explanare potuisse.

Posteriorem autem locum si spectaveris, multo aliter rem se habere concedes; leguntur enim in fragmento quodam prioris Cornelianae³⁾ ab Asconio servata verba haec:

¹⁾ v. nunt. Monac. 1862. II. p. 20. — ²⁾ Asc. p. 53. — ³⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 8 (3). Asc. p. 56.

„legem“ inquit „de libertinorum suffragiis Cornelius C. Manilius dedit.“ —

Hoc enuntianum sine ulla dubitatione Comini esse Ciceronis intellegitur verbis quae sequuntur „quid est hoc dedit“; Cominius enim a Cicerone quasi vituperatur, quod dixerit „legem dare.“

**C. De criminibus Cornelio ab adversariis obiectis.
De rationibus defendendi, quibus Cicero usus est.**

P. Cominius C. Cornelium tribuniciam potestatem sustulisse, itaque populi Romani maiestatem imminuisse edixerat. Et profecto huic crimini aliquid veri inesse negari non potest, si ea, quae Cornelius in roganda sua lege „ne quis nisi per populum legibus solveretur“ commiserat, spectantur. Cornelius enim, — ut breviter ea quae iam exposui repetam — cum collega intercederet, ira incitatus legis codicem praecoris e manibus ereptum ipse legerat atque prohibuerat, quominus collega intercedere posset, itaque tribuniciam intercessionem sustulerat; qua ex causa iam C. Calpurnius Piso consul iure eum vituperavit. Quod quidem temere atque iniuste a reo factum esse ne Cicero quidem negare potuit; attamen studuit, ut Cornelium excusaret. Quanta vero diligentia et quam insigni dicendi arte id peregerit hac in parte commentationis videbimus.

a. *Qua ratione Cicero crimen laesae maiestatis Cornelio obiectum refutaverit:* Ut intellegamus argumenta, quibus Cicero innocentem esse Cornelium demonstrat, accurate examinanda sunt fragmenta prioris Cornelianae, quae ad ipsam argumentationem pertinent. Quorum primum, quod exstat apud Asconium p. 62, admodum est corruptum, ita, ut Ciceronis ratiocinatio vix intellectura fuerit, nisi Sigonii, quem nuper Eigenbrodtius¹⁾ secutus

¹⁾ v. Eigenbrodt: de magistratum iure intercedendi p. 20. 21. adn.

est, industria in eum statum redactum esset, ut, quae eo continentur, rursus possent cognosci. Sunt enim codicum verba haec: „quo loco enumerat, cum lex feratur quot loca intercessionis sunt iubeat discedere“:

„est utique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu ferundi transferuntur; id est . . . lex, dum privati dicunt, dum, dum sitella defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit, et si qua sunt alia huius generis.“

Lacunam, quae exstat inter vocabula „sunt“ atque „iubeat“ Sigonius supplevit, in textum recipiens verba: „antequam qui legem fert populum | iubeat discedere“

Duas alias lacunas „quamdiu . . . ferundi“, „dum . . ., dum“ et Büchelerus et Mommsenus apte suppleverunt, sed quaeritur quid sibi velint codicum verba „id est . . . lex“; „supplendi ratio, quam Kiesslingius et Schöllius adhibuerunt excidisse verba putantes „dum recitatur“ satis probabilis quidem est; sed tamen Sigoni sententiam praefero, qui verba „id est lex“ ex glossemate ad vocabulum „ea“ quod praecedat, explicandum adscripto in textum irripuisse censet. Itaque scribendum erit: „quo loco enumerat, cum lex feratur, quot loca intercessionis sunt, antequam qui legem fert populo iubeat discedere.“ — „est utique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu . . . ferundi transferuntur; dum privati dicunt, dum . . ., dum sitella defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit, et si qua sunt alia huius generis.“

Hoc enuntiatum quid in Corneli defensione sibi velit, recte Mommsenus,¹⁾ explicare videtur verbis his: „In der schwer verderbten Stelle des Asconius scheint sich Cicero darüber zu beklagen, daß Globulus nicht bereits gegen die vorbereitenden Handlungen, insbesondere gegen die Erloosung der praerogativa Einspruch gethan, sondern bis zum Auseinandertreten zur Abstimmung gewartet habe.“ Quae quidem

¹⁾ Mommsen: Röm. Staatsrecht (2. Auflage). I. pag. 272 adn. 1

explicatio prorsus est probanda, nam, si eam retinemus, excusari sane Corneli temeritas potest. Cicero igitur arbitratus esse videtur, si Globulus, antequam in tribus populus discessisset et praeco rogationem coepisset recitare, intercessisset, vix futurum fuisse, ut Cornelius tanta ira inflammaretur, ut morem maiorum violaret. Qua e rationatione concludi potest, reum, iam summotam ipsam contionem, legem acceptam iri pro certo habentem, collegam non iam intercessurum esse putasse, itaque intercedente collega animo perturbatum ad illam temeritatem incitatum esse. Ceterum hac in orationis parte uberrime de iure intercedendi Cicero dixisse videtur, quae quidem praecepta uno illo fragmento excepto deperdita sunt. —

Sequuntur deinde ipsa argumenta, quibus Cornelius a Cicerone non modo excusatur, verum etiam defenditur. Difficile sane est de hac defensione aliquid certi iudicare, sed nihilominus expaucis illius orationis partis fragmentis, quae supersunt, et ex aliis locis, qui apud Asconium et apud ipsum Ciceronem exstant, quattuor intelleguntur argumenta, quae ad exponenda transgrediamur:

1. Idem fere quod Cornelius, A. Gabinus collega fecerat, sed tantum afuit, ut maiestatis accusaretur, ut in summo populi favore esset.¹⁾ Legem enim Gabinus tulerat de bello contra piratas Cn. Pompeio dando, cui ut intercederent ab optimatibus adducti erant L. Trebellius L. Roscius Otho tribuni plebis, quorum Trebellius senatui promiserat moriturum se prius esse, quam ea lex perferretur. Intercessit autem L. Trebellius cum iam de rogatione accipienda suffragiorum ferendorum initium fieret; et cum perseveraret intercedere intro vocare tribus Gabinus coepit, ut abrogaret Trebellio magistratum, sicut quondam Ti. Grachus M. Octavio collegae magistratum abrogaverat.²⁾ Et cum XVII tribus illam rogationem

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. 30 (14). Asc. p. 63 sq. Cass. Dio 36. 30. Sange: R. A. III. p. 211. — ²⁾ Asc. p. 64.

accepissent abstinuit Trebellius ab intercessione et Gabinus legem pertulit.

Comparantur igitur a Cicerone inter se ea quae et Gabinus et Cornelius fecerunt: Cornelius, cum intercederetur legis codicem legit, itaque intercessionem neglexisse, tribuniciam potestatem minuisse videtur; ostendit se legem esse laturum invito collega, tribus ad accipiendam legem intro voluit vocare: — at tamen Gabinus sitellam de ipso intercessore detulit ac tribus ad abrogandum collegae magistratum intro vocavit, — id quod sane multo est turpius. Quodsi Gabinio ea, quae iniuste fecit honori fuerunt, iudices quasi coguntur Cornelium absolvere, praesertim, cum aliis quoque e causis apertum sit Cornelium innocentem esse, nam:

2. Legis codicem non recitandi, sed tantum recognoscendi causa legit.¹⁾ Videntur igitur diversa inter se esse duo legendi genera et ‚recitandi‘ et ‚recognoscendi‘ causa; quaeritur, quid ‚recitare legem‘ significet. His enim verbis quae in oratione in Vatinius exstant adductus Romanos puto ‚recitandi‘ verbum dixisse de lege in comitiis populo eo consilio pronuntiata, ut de ea discessio fieret. Bis autem in comitiis lex recitari solet et suadendi vel dissuadendi causa et commota contione ante ipsam discessionem.²⁾ Quodsi Cornelius ipse legem recitasset itaque discessionem de ea fieri passus esset, maiestatem populi Romani minuisset; sed reum id noluisse eo cognosci potest, quod:

3. tumulto orto statim contionem misit³⁾ et

4. ipse de lege sua corrigenda ad senatum retulit.⁴⁾

Reum igitur legem recitandi causa non legisse, intercessioni paruisse, populi Romani maiestatem non violasse manifestum est. Ceterum ipsum P. Servilium qui intercesserat advocatum reo adfuisse iam commemoravi. —

¹⁾ Cic. Vat. 2. 5. — ²⁾ Liv. 6. 35. Asc. p. 51. — ³⁾ Asc. p. 51. — ⁴⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 31 (15).

b. *De C. Cornelio C. Manili socio*: C. Manilius tribunus plebis fuit anno 688/66; cuius de tribunatu, ut intelligatur alterum crimen Cornelio obiectum, nonnulla verba hoc loco facere necessarium esse videtur. Duas enim leges Manilius in tribunatu tulit alteram rei publicae perniciosam egregiam ¹⁾ alteram. Post pauculos enim dies, quam tribunatum inerat pridie Cal. Jan. Compitalibus legem tulit perniciosam ‚de libertinorum suffragiis‘, qua lege idem constitutum est, quod iam P. Sulpicius Rufus L. Cornelio Sulla Q. Pompeio Rufo consulibus anno 666/88 voluerat eo tempore, quo rem publicam per vim possederat, cum rogasset, ut novi cives libertinique in omnes tribus distribuarentur. ²⁾ Duo autem hac in lege Manilia reprehensa sunt, et quod Compitalibus, quibus cum populo de lege ferenda agere nefas erat, lata et quod a multitudine conducta servorum ac libertinorum (bonis civibus invitis) accepta erat. ³⁾ Quam ob rem mirum non est, quod iam Cal. Jan. 688/66 S. C. illa lex damnata est, quam ipse quoque Manilius non ultra defendisse dicitur. ⁴⁾ — Alteram egregiam quam tulit legem de bello Mithridatico Cn. Pompeio dando a M. Tullio Cicerone in oratione pro lege Manilia commendatam esse notum est.

Sed quaeritur hoc loco imprimis, quo impulsus adversarii edixerint Cornelium participem fuisse eorum, quae Manilius in tribunatu turbulenter gessisset. Dicitur enim Cornelius auctor fuisse legis de libertinorum suffragiis, neque tamen intellegitur, unde hic rumor ortus sit. Equidem difficultatem hac ratione tolli puto; quoniam enim conici potest ⁵⁾ Manilium inter eos fuisse operarum duces a quibus iudicium Cornelianum anno 688 turbatum esset, ab hoc ipso tempore, quo factum id esset, optimates ex

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. fr. 16 (6). — ²⁾ Asc. p. 57. Lange: R. N. III. p. 123. p. 218. — ³⁾ Asc. p. 57. Cass. Dio 36. 42. 2. — ⁴⁾ Asc. p. 58. Cass. Dio 36. 42. 3. — ⁵⁾ Asc. p. 53.

istimavisse puto Cornelium et illam legem Manilio ‚deditisse‘ ¹⁾ et ipsum impulsisse Manilium, ut iudicium disturbaret. Quae si vera esse arbitremur, priore in accusatione Cornelio id crimen, de quo agitur, a Cominio omnino non obiectum esse videtur. — Tribunatus autem anno peracto Manilius iam extremo anno 688/66 apud Ciceronem praetorem de pecuniis repetundis postulatus est; ²⁾ quod quidem e Ciceronis verbis, quae loco laudato facit, apparet. Qua de postulatione et apud Plutarchum et apud Cassium Dionem legimus, sed Plutarchus ³⁾ accusatum Manilium esse dicit *κλοπις*, i. e. peculatus, Dio postulationis causam prorsus silentio praeterit. Sed cum et Ciceronem anno 688 repetundarum praetorem fuisse et apud Ciceronem postulatum esse Manilium sciamus, Plutarchum errasse apparet. Ceterum qua e causa repetundarum reus fuerit apud scriptores non legitur.

Cicero, cum praetura pauculos tantum dies fungere-tur, Manilium, cui, cum Pompei partium eum esse sciret, gratificabatur, prid. Cal. Jan. adesse iussit. Quod cum aegre populus tulisset, — mos enim erat in decimum diem reos citare — et cum tribuni ad eius rei rationem reddendam Ciceronem vocarent, excusavit sese verbis gravissimis, quibus impulsus eum populus oravit, ut insequenti anno Manilium defenderet. Sed iam Drumanno ea ⁴⁾ — quae a Plutarcho narrantur — maxime erant suspecta, neque sane negari potest has res sic, ut Plutarcho persuasum est, vix factas esse. Equidem id tantum bis ex verbis constare opinor anno 688/66 iudicium Manilianum de pecuniis repetundis nondum exercitum esse. Quaeritur num omnino exercitum sit, nam iis, quae apud Cassium Dionem leguntur, demonstrari potest propter tumultus initio anni 689/65 exortos id iudi-

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. 8 (3). — ²⁾ Cic. pro Corn. 1. 3 (1). — ³⁾ Plur. Cic. 9. Cass. Dio 36. 44. 1. — Drumann: O. R. V. 375.

cium Manilianum de pecuniis repetundis numquam exercitum esse.

Eodem autem anno 689/65 maiestatis quoque accusatus est C. Manilius seu propter legem perniciosam quam tulerat, seu — quod mihi, quoniam ipse illam legem abiecerat, verisimilius videtur — propter iudicium Cornelianum disturbatum. Quae quidem sententia tribus ex locis nascitur, qui hac in libelli parte paulo accuratius tractandi sunt, ut alias et diversas inter se sententias hac de maiestatis causa prolatas examinemus.

Proficiscendum est a verbis Asconi p. 53, quibus demonstratur Manilium condemnatum esse. Ceterum de corruptelis quae huic loco insunt paulo post disseram.

Alter autem locus apud Dionem (36. 44. 2) exstat, cuius e verbis probabile esse videtur iudicium Manilianum de pecuniis repetundis non esse exercitum.

Tertius locus est scholion Bobiense p. 284. v. 27: Hölzeli¹⁾ sententiam, quam is non modo hoc de scholio, verum etiam de tota causa Maniliana profert, probare non possum: Asconius enim p. 39 ad Ciceronis verba ex Miloniana sumpta ‚dederas enim, quam contemneres populares insanias iam ab adolescentia documenta maxima‘ adnotat haec: ‚Constantiam L. Domiti quam in praetura praestitit, significat. Nam eo tempore, cum Cn. Manlius (sic scribendum est cum P — Poggii apographo —, neque C. Manilius, quod Manutius suspicatus est) tribunus plebis subnixus libertinorum et servorum manu perditissimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus suffragium esset, idque per tumultum ageret et clivum Capitolinum obsideret, discusserat perruperatque coetum Domitius ita, ut multi Manlianorum (cum P, ceteri codices ‚Manilianorum‘) interficerentur. Quo facto et plebem infimam offenderat et senatus magnam gratiam inierat.‘

¹⁾ Hölzl: Fasti praetorii pp. 41–43.

Haec verba ad Cn. Manlium tribunum pl. anno 696/58 pertinere apertum est. Tulerat enim ille per vim rogationem de libertinorum suffragiis C. Manili vestigiis insistens. Cum autem ad eadem Milonianae verba scholion Bobiense pertineat, scholiastam quoque de Cn. Manlio, neque de C. Manilio verba fecisse, et C. Manilium repetundarum tantummodo, neque umquam maiestatis reum fuisse Hoelzelio persuasum est. Bis igitur ex Hoelzeli ratiocinatione C. Manilius de repetundis pecuniis accusatus est, et anno 688/66 apud Ciceronem, et, cum eo anno causam illam peractam non esse e Plutarcho atque e Dione sciamus, anno insequenti Cicerone defendente apud praetorem C. Attium Celsum, quem repetundarum praetorem fuisse arbitratur. Quaeritur, num haec sententia, quam Langius¹⁾ quoque accepit, comprobari possit. Exstant enim in scholio verba haec: ‚Nam cum C. Manilius post annum tribunatus causam de maiestate dicturus esset‘; — Quodsi id, quod Hoelzelius suspicatur, verum esset, Cn. Manlium tribunum pl. anno 696 maiestatis accusatum esse necessarium esset, sed illius causae Manilianae apud rerum scriptores nullum inveni vestigium; quare hanc sententiam verum esse nego, donec Hoelzelius certo testimonio demonstrat Cn. Manlium anno 697/57 vel postea maiestatis reum fuisse. Equidem ad tollendam difficultatem hanc viam ingressus sum:

Scholiasta enim in mente confudisse videtur propter nominum similitudinem et C. Manilium et Cn. Manlium, quorum uterque legem de libertinorum suffragiis tulerat, ac deceptus Ciceronis verbis, quae Milonianae loco laudato leguntur ‚inde ab adolescentia‘ L. Domitium Ahenobarbum, quem anno 696/58, cum legem tribunus Manlius ferret, coetum servorum perrupisse Asconius recte dicit, putavit adolescentem iam anno 689/65 accusatori C. Ma-

¹⁾ Lange: Röm. M. III. p. 223.

nili Cn. Minucio a conspirata multitudine obsessio auxiliū tulisse. Quare mihi quidem verisimile est Asconii commentarium scholiastam non inspexisse; quod si fecisset haec confusio fieri vix potuisset. Itaque C. Manilium fuisse maiestatis reum atque a Cn. Manicio accusatum esse probabile est; sed ea, quae L. Domitius fecisse fertur, ad legem Manliam anno 696/58 promulgatam neque ad causam Manilianam pertinent. —

Jam redeamus ad locum illum Asconi (pp. 52 et 53), cuius verba sunt haec: „Sequente deinde anno L. Cotta L. Torquato coss. quo haec oratio a Cicerone praetura nuper peracta dicta est, cum prima pars . . . Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, deinde quod ex S. C. ambo consules praesidebant ei iudicio, non respondisset absensque (vel ‚atque‘) esset damnatus, recreavit se Cominius ut infamiam acceptae pecuniae tolleret, ac repetiit Cornelium maiestatis.“ Jam primo fere obtutu molesta est lacuna, quae initio huius loci est; quo accedit, quod scriptura codicum ‚prima pars‘ cum ceteris enuntiati verbis coniungi non potest. Quae lacuna ut suppletur, quamquam multae viae initiae sint, tamen una excepta nihil iis proficitur. Primum quidem constare videtur tres voces ‚cum prima pars‘ in omnibus codicibus pari modo esse traditas, quare nec Sigoni coniectura, qui putat Asconium scripsisse ‚cum primum apparuisset Manilius, qui iudicium etc.‘, nec Mommseni, cui persuasum est scriptorem fecisse verba haec ‚cum primum effugisset maiestatis accusationem Manilius, quia etc.‘, nec verba quae in textum recipi Kiesslingius et Schöllius volunt ‚cum primum pari modo elusisset accusationem collega¹⁾ Corneli C. Manilius, quia etc.‘ probari potest: accedit quod omnibus illis supplementis enuntiati verba quae sequuntur ‚cum — damnatus‘ coniungi vel verti non possunt. In

¹⁾ Valde erraverunt editores, Cornelius trib. plebis erat anno 687/67, Manilius 688/66: ergo collegae non erant.

Poggii autem apographo (P) lacuna illa suppleta est — etsi illo supplemento enuntiati verba verti non possunt — est enim illius libri scriptura: ‚cum prima pars M. Manilius, qui etc.‘ — qua quidem scriptura, quam Halmius quoque in editione Ciceronis secutus est, permotus Langius¹⁾ hanc sententiam promittit: ‚Cicero citirte ihn (d. C. Manilius) in wolwollender Absicht auf einen noch immerhalb seines Amtsjahres fallenden Tag, das Gericht wurde aber durch einen von M. Manilius geleiteten Volkshaufen gesprengt.‘

Quodsi solam codicum auctoritatem spectas codicem P parvae esse auctoritatis erit concedendum, et quoniam omnes alii Poggianam scripturam respuunt, non intellego, cur eam retinendam esse censeamus. Deinde autem de Marco quodam Manilio apud ceteros rerum scriptores nihil legi, hic solus est locus, quo Langi sententia confirmari videtur, sed, ut modo dixi, haec scriptura codicis P teneri vix potest; fortasse M. Manilius ex ditto-graphia ortum est.

Multo autem simplicius haec difficultas tollitur, si ea probas quae Madvigius hunc ad locum affert; scripsit enim pro verbis ‚cum prima pars . . . Manilius‘ ‚cum prima parte anni C. Manilius.‘ Equidem nihil inveni, quo melius corruptela emendari possit.

Quibus expositis ad vocabulorum constructionem transgrediamur: incipiendum nobis est a particula ‚cum,‘ quae cum nullis aliis verbis coniungi potest, nisi cum duobus coniunctivis ‚respondisset absensque esset damnatus.‘ Facillime autem haec essent vertenda, nisi summa oriretur difficultas enuntiato, quod interiectum est: ‚deinde quod ex S. C. ambo consules praesidebant ei iudicio:‘ haec verba quo modo hac in vocabulorum collocatione intellegenda sint non intellegitur. Mihi quidem saepenumero hoc de

¹⁾ Range: *N. A.* III. p. 223.

loco sanando cogitanti via in mentem venit, quam si ingredimur, spero fore, ut Asconii verba restituamus. Persuasum enim mihi est in archetypo fuisse duos versus hos:

1. non respondisset absensque esset damnatus
2. deinde quod ex S. C. ambo consules praesidebant ei iudicio

quorum versuum ordinem librarius, qui codicem descripsit negligenter mutavit. Quodsi retinemus: cum prima parte anni C. Manilius, qui iudicium per operarum duces turbaverat, non respondisset absensque esset damnatus, deinde quod ex S. C. ambo consules praesidebant ei iudicio, recreavit se Cominius etc. constructio verborum fit, qua — mea quidem opinione — melior cogitari non potest. Id autem unum suspectum esse potest, quod cogimur, ut enuntianum deinde quod — iudicio, si posteriore loco ponimus, non Manilio, sed Cominio tribuamus. Sed Manili nihil interat utrum consules iudicio praesiderent, an non, ita, ut supervacaneum esset, si Asconius id addidisset, contra Cominio gratissimum id fuisse arbitror propterea, quod sperare potuit fore, ut causam suam prospere perageret.

Sed ad materiam institutam redeamus: accusavit igitur — ut iam vidimus — Manilium Cn. Minucius cuius de hominis vita praeter id unum nihil notum est. Defensoris autem partes M. Tullius Cicero praetorius suscepit,¹⁾ a quo maxima contentione C. Attius Celsus praetor²⁾ petiverat, ut Manilium defenderet.³⁾ Desideratur autem vera causa, qua adductus Cicero Manilium maiestatis

¹⁾ Q. Cic. pet. c. 13. 51. v. John: Entstehungsgeschichte der Catil. Verschwörung. Separatabdr. a. d. 8. Bde d. Jahrbücher für class. Philologie p. 714. Anm. — ²⁾ In codicibus litterae exstant „pr“, quas significare putant Kiesslingius et Schöllius „praetor“, Madvigius (app. crit. disput. de Q. Ascon. Ped. p. 7) „pater“; sed tamen Madvigi sententia ferri vix potest, quare coniecturam „praetor“ ab illis propositam praefero. — ³⁾ Cic. pro Corn. 1. 10 (5). Asc. p. 57. —

reum defendit, ac mea quidem sententia iam Drumannus¹⁾ hac in quaestione rectam inivit viam, qui Ciceronem Pompeio, quem Manilius lege sua de bello Mithridatico sibi obligaverat, gratificantem defendisse reum pro certo habet. Atque erat forsitan C. Attius Celsus praetor, cuius precibus permotus Cicero Manili defensionem susceperat, Pompei partium.

Neque tamen Ciceronis arte et industria reus absolutus est, cum enim iudicio conspirata multitudo disturbato non respondisset, absens condemnatus est.²⁾ Ceterum orationis illius, quam Cicero pro C. Manilio maiestatis reo habuit, unum superest fragmentum³⁾ brevissimum, e quo nihil iudicari potest de rebus, quae ob oratore ea sunt tractata.

Sed priusquam hanc commentationis partem absolutam restat, ut accuratius inspiciamus rem, cui viri docti summam dederunt operam: dicit enim Cicero in priore Cornelia⁴⁾: „ab aliis (sic cum Halmio⁵⁾ scripsi) in illum furem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum iudiciorum (reip.) perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus cupierunt“; quae ad verba explicanda Asconius adnotat: „L. Catilinam et Cn. Pisonem videtur significare.“

Ex iis, quae in antecedentibus exposui, hoc loco iudicium de Manilio maiestatis reo exercitum a Cicerone significari intellegitur; illis autem tribus locis, quos modo tractavi, demonstratur:

1. Manilium condemnatum esse,
2. Manilium repetundarum non condemnatum esse, quoniam illud iudicium exercitum non esse videtur,

¹⁾ Drumann: Gesch. Roms. V. 376. — ²⁾ Asc. p. 58. Cic. pro Corn. 1. 17 (7). — ³⁾ Non. s. v. confiteri p. 294 (ed. Gerlach et Roth): Hic ego non solum confitor, verum etiam profitor. — ⁴⁾ Cic. pro Corn. 1. 17 (7). — ⁵⁾ v. Nunt. Monac. 1862. 2. p. 19.

3. Manilium maiestatis accusatum esse.

Ergo iudicium de Manilio maiestatis reo disturbatum est, atque absens reus est damnatus.

Quae cum ita sint, nullo modo Langi¹⁾ sententia ferri potest, qui putat iam pridem Cal. Jan. 689/65 Catilinam iudicium de causa repetundarum exercitum disturbasse. Primum enim illud iudicium, etiamsi revera id esse exercitum acciperemus, vix eo tempore, quo Langius existimat, exercitum est; deinde, sicut iam dictum est, ipse scholiasta Bobiensis affirmat tumultu illo iudicium de Manilio maiestatis reo turbatum esse. Quibus de causis Langio assentiri non possum, sed meam sententiam, e qua initio anni 689/65 magni illi viri exemplum cupierunt institui disturbatorum iudiciorum, praefero. Equidem ipse ante annum id inveni, et magno cum gaudio, tum magno dolore affectus sum, cum eandem meam sententiam, quam modo protuli, eodem fere tempore a Johnio²⁾ viro docto iam excogitatam esse acciperem.

Tota igitur quaestione de causa Maniliana finita dicendum mihi est de argumento, quo Cicero Cornelium auctorem demonstrat legis Maniliae de libertinorum suffragiis non fuisse. Summa autem eius defensionis uno continetur fragmento,³⁾ quo, quamquam admodum corruptum est, tamen defensoris ratiocinatio cognoscitur; et cum de corruptelis, quae huic fragmento insunt, sanandis in proxima huius commentationis parte disserere mihi proposuerim, hoc loco solam defendendi rationem breviter exponam. Cum enim adversarii dixissent, Cornelium illam legem Manilio dedisse, Cicero se ignorare confitetur, 'legem dare' quid sibi velit: non Latini sermonis esse, 'legem dare.' Ac profecto ne hortatus quidem erat Cor-

¹⁾ v. John: Sallust liber Catilina's Candidatur im J. 688. Mus. Rh. XXXI. 1876. p. 418: Entstehungsgesch. d. Catilinarischen Verschwörung. p. 712. 713 (adnot.). -- ²⁾ Cic. pro Corn. 1. 8 (3).

nelius populum, ut legem acciperet, itaque de crimine ab adversariis reo obiecto cogitari non poterat.

e. Tertium crimen C. Cornelio esse obiectum Drumanno¹⁾ persuasum erat; loco enim laudato dicit haec: 'Er habe den Consul Piso nicht angegriffen.' Quae quidem sententia utrum ferri possit, neque, optimo iure ambigitur, neque enim apud Asconium, neque apud Dionem exstat tale crimen, quale Drumannus suspicatus est; contra ipse Asconius in argumento ad Ciceronis orationes pro Cornelio dicit reum perturbatum illo tumultu, qui, cum tolli tribuniciam intercessionem consul quereretur, ortus est, concilium dimisisse. Reus igitur vix in tanta culpa fuisse videtur. Attamen unum exstat prioris Cornelianae fragmentum,²⁾ e quo id, quod Drumannus profert, concludi fortasse potest. Edixerat igitur ex illius rationatione Cominius Cornelium induxisse Philerotem servum, ut consulem occideret. Quod crimen sic excusavit Cicero, ut diceret alium multorum illorum Corneliorum, qui in urbe essent, qui ipse quoque haberet Philerotem servum, impetus in consulem fecisse. Sed quamquam hoc non male a Drumanno excogitatum est, tamen vix certi aliquid de tertio quodam crimine ex brevi illo fragmento iudicari posse arbitror. —

¹⁾ Cic. pro Corn. 1. 44 (21).

III.

De fragmentis orationum pro Cornelio, quae supersunt.

A. Quibus rationibus prioris Cornelianae fragmenta ordinanda sint.

Statuendae nobis sunt, priusquam ad ipsam fragmentorum ordinationem aggrediamur, rationes quaedam, quibus quasi regulis utamur. Atque tria potissimum sunt, quibus indicetur, quo modo Cornelianae prioris, quae supersunt, disponenda, singulaeque orationis partes restituendae sint.

a. Quarum ordinandi rationum prima est ordo fragmentorum illorum 37, quae apud Aseonium inveniuntur; qui quidem ordo maximae est auctoritatis, neque unquam, nisi forte codicis optimi scriptura id postulatur, negligendus est. Mutandus enim ordo institutus est p. 60, ubi cum editoribus ex optimi libri S auctoritate pro alterum, quod vulgata tenet scriptura, quartum scribendum est. Quam scripturam si tenemus hoc enuntiatum post id, quod vocabulo tertium incipit, ponendum sine dubio est. Quo quidem ordine in disponendis fragmentis ab aliis scriptoribus servatis utimur ita, ut singulis lacunis, quarum ambitus saepe magnus est, ea quae apta sunt fragmenta inseramus. Quot enim versus Ciceronianarum orationum singulos inter locos explicatos intersint in ipsis Aseoni Commentariis interdum magna cum diligentia indicatur numeris vel enuntiationibus talibus adscriptis, quales sunt hae:

,Cir. ver. a primo CC. — Sequitur. — Paulo post etc.'

Disceptatio autem fit, utrum ab ipso Aseonio enuntiata eius modi sint adscripta, an ab iis, qui postea Ciceronis orationes simul cum Aseoni commentariis tractaverunt. Et primum quidem hac in quaestione ambigua non levis momenti est, quod adscriptiones illae non in omnibus quinque commentariis leguntur; inveniuntur enim in commentariis in Pisonianam, Scaurianam, Milonianam, duas Cornelianas compositis, sed in commentario in orationem in toga candida habitam prorsus desunt. Quare, cum certo sciamus iam in deperdito codice Sangallensi saeculo nono scripto ea enuntiata in oratione in toga candida habita non exstitisse, ea aetate a librario adscripta illa esse putem, qua oratione in toga candida exceptis fragmentis, quae ab Aseonio servantur, iam deperdita duae incolumes Cornelianae totaque Scauriana et Pisoniana virorum doctorum in manibus etiam tum erant. Ne negligentia librarii vel rubricatoris¹⁾ cuiusdam omnes illius adscriptiones deperditas esse putes, reputandum est in altera quoque Corneliana, cuius sola quinque fragmenta apud Aseonium inveniuntur, unum exstare eiusmodi enuntiatum, legitur enim inter fragmentum tertium et quartum, sequitur.

Quamobrem, quoniam orationis in toga candida triginta fere fragmenta apud Aseonium leguntur, credere non possum omnes illas enuntiationes negligentia librarii amissas esse.

Sed hoc loco inutile non est paulo accuratius numerorum illorum fidem examinare. Quare tabula, quae sequitur, numeros versus Ciceronianorum, qui singulos inter locos explicatos interesse feruntur, comparandos esse cum numeris versus editionis, quam curaverunt Baïterus et Kayserus, cuius paginae singulae versus sunt quadra-

¹⁾ ut Kiessl. et Schöllius in prolegem. p. XXIII. vv. 6—8 arbitrari videntur.

genarum, censuimus; ut cognoscatur, qua ratione et codicis, quo usus est librarius, et editionis laudatae versus sibi respondeant. Et cum Scauriana et Cornelianarum sola fragmenta supersint, solae Pisoniana et Miloniana possunt inter se comparari. Qua ex tabula cerni potest, circiter quinos codicis versus quaternis fere editionis laudatae versibus respondere. Sed tamen in constituenda tabula id unum dolendum est, quod Pisonianae initium in manibus nobis non est. Quare, ne inter se discrepent tabulae et prior et posterior pars, e numerorum ratione, qua 4 editionis versus 5 codicis versibus respondent studebimus, ut coniectura numerum deperditorum versuum restituamus.

Pisoniana	numeri in codice adscripti.	cod. Cicero- nis versus.	editionis ver sus.
§ 4.	cir. vers. a primo CCLXX	270	* 216 ¹⁾
§ 6.	cir. ver. a primo CCC	300	* 240
§ 8.	cir. ver. a primo CCCXX	320	* 256
§ 23.	cir. ver. a primo DC	600	* 480
§ 24.	cir. ver. a primo DCXX	620	* 496
§ 26.	cir. ver. a primo DCXL ²⁾	640	* 512
§ 35.	cir. ver. a primo DCCC	800	* 640
§ 52.	cir. ver. a novis. DCCC	800	658
§ 58.	cir. ver. a novis. DCCCXX ³⁾	820 ³⁾	573
§ 62.	cir. ver. a novis. DCLX	660	515
§ 68.	cir. ver. a novis. DLX	560	442
§ 82.	cir. ver. a novis. CCCXX	320	256
§ 89.	cir. ver. a novis. CC	200	161
§ 94.	cir. ver. a novis. CXX	120	92
§ 95.	cir. ver. a novis. LXXXX	90	72

¹⁾ Numeros asterisco notatos coniectura assecuti sumus.

²⁾ Sunt autem revera 650. v. infra.

³⁾ Hoc de mendo sanando paulo post verba faciam.

Miloniana	num. adscr.	Cic ronis versus.	edit. versus.
§ 5.	ver. a primo L	50	circa 40 ¹⁾
§ 12.	ver. a primo CC	200	circa 150
§ 95.	ver. a novis. CLX	160	circa 125

Qua e comparatione cernitur bis aut librarium in versibus numerandis, aut eos, qui postea Asconi librum descripserunt, in depingendis litteris errasse; loco enim ex Pisonianae paragrapho 26 sumpto additum est: 'cir. ver a primo DCXL.' Sunt igitur inter hunc et eum, qui praecedit, locum 20 versus Ciceronis, id quod, si tabulam inspicias, ferri non potest; respondent enim versibus illis 20 versus editionis laudatae 23, quae ratio probari non potest. Quare mihi in mentem venit pro 'DCXL' scribere DCL, quod si tenemus, corruptela emendatur; est enim DCL—DCXX = XXX ac 30: 23 idem fere est, quod 5: 4. —

Altera corruptela est haec: Ase. p. 11 codices praebent 'cir. ver. a novis. DCCC,' quod si cum iis conferas, quae exstant p. 12 'cir. ver. a novis. DCCCXX' prorsus absurdum esse videtur. Quod cum bene sentiret Büchelerus hoc loco pro DCCC scribendum esse DCCCC cum Kiesslingio et Schöllio, Asconi editoribus, communicavit. Sed tamen res longe aliter se habet, nam corruptela in ipso numero DCCCXX inest; responderent enim, si hunc numerum verum esse censeremus, versus 572 editionis 820 versibus codicis; id quod ceteris numerorum rationibus, quas tabula nostra complexi sumus, contradiceret. Itaque pro DCCCXX scribo DCCXX, qua mutatione sane lenissima mendum sublatum mihi esse videtur, est enim 720: 573 idem fere, quod 5: 4.

¹⁾ Si quidem circa decem versus addis, quibus continetur inscriptio: M. Tulli Ciceronis pro T. Annio Milone oratio.

Quam sententiam si verum esse censemus, codicum quoque scriptura DCCC retinenda, et Bücheleri coniectura reprobanda est, nam 658 editionis versus bene respondent versibus 800 codicis, sed vix 900.

b. Sed ad alterum, quo in disponendis prioris orationis fragmentis quasi regula utimur, transeamus. Est autem locus apud Marcianum Capellam, cuius e verbis laudatis¹⁾ cernitur primum a Cicerone diluta esse crimina, quae Cornelio tribunicio munere iam functo obiecta sunt. Edixerat enim accusator, ut iam exposui, participem fuisse Cornelium eorum, quae tumultuose C. Manilius in tribunatu gesserat, quod crimen, quoniam maiestatis reus Cornelius erat, a defensore probatione extra causam refutatur. Omnia igitur fragmenta, quibus aliquid de Manili studiis indicatur hanc ad probationem extra causam pertinent. Cum autem ipsa huius orationis argumentatio in hac sola quaestione versetur, utrum revera Cornelius legis codice lecto populi Romani maiestatem minuerit, neene, nonnulla restant, quae, quamquam in tribunata facta sunt, tamen ad ipsam causam non pertinent, — ergo iterum extra causam ducenda sunt. Qua propter post ipsam argumentationem altera accipienda est probatio extra causam, qua Cicero de legibus Corneliis et de ambitu et de edicto praetorio disseruit. —

c. Denique tertio loco inquirendum nobis est, utrum Cornelianae prioris exstiterit narratio, neene. — Quam ad quaestionem pertinet locus Quintiliani,²⁾ quo agitur de parte ea orationis, quae ‚propositio‘ nominatur, et verba facit hoc loco rhetor de ea parte haec: ‚est et nuda propositio, qualis fere in coniecturalibus ‚caedis ago, furtum obicio‘: est ratione subiecta, ut: ‚maiestatem minuit Cor-

¹⁾ v. Marc. Cap. p. 166 v. 20 (ed. Eyssenhardt) ‚pro Cornelio primo refutata sunt crimina, quae secuta sunt tribunatum, post ad ipsum tribunatum recursus est factus, quae dispositio artificialis nominatur.‘ — ²⁾ Quint. 4. 4. 8.

nelius, nam codicem ipse tribunus plebis pro contione legit.‘ — Quibus e verbis propositionem fuisse orationis pro Cornelio prioris constat, neque tamen quidquam, — praesertim, cum apud eundem Quintilianum antea¹⁾ legatur: ‚sunt qui narrationi propositionem subiungant tamquam partem iudicialis materiae,‘ — eo proficitur; primo enim obtutu cerni vix potest, utrum hac in oratione praeter propositionem narratio statuenda sit, an sola nuda propositio. Qua in ambiguitate sane desperandum nobis esset, nisi certum accederet Grilli²⁾ testimonium narrationem defuisse huic orationi. —

¹⁾ Quint. 4. 4. 1. — ²⁾ Grill. § 21 (ed. Halm. rhet. lat. min.). ‚Aut certe nec narratio esse debet, sed aut a lege aut ab aliquo firmissimo argumento inchoare debet orator, sicut in Cornelianae sq.‘

B. Ipsa fragmenta ordinantur.

a. Oratio prior.

I. Exordium.

1. Grill. 20 (Halm rhet. l. m. p. 602. 1)¹⁾. Ut insinuationis²⁾ exempla etiam de Cicerone ponamus, ecce insinuatione usus est per circuitiorem in Cornelianae:

Si umquam ulla fuit causa iudices, in quo initio dicendi finxit se a diis petere quod a iudicibus postulabat. Et quomodo illud Vergilianum, ‚neque me Argolica de gente negabo sic et hic: nam primo omnium tempore infestissimo causam dicimus.

Verbis adductus, quae Grillius fecit: ‚finxit se a diis petere etc.‘ secundo loco ponendum esse censeo:

2. (30) Prisc. 7. 3. 11: ut a Jove optumo maximo ceterisque diis deabusque opem et auxilium petam.

3. (1) Asc. p. 55. Postulatur apud me praetorem primum de pecuniis repetendis. Prospectat videlicet Cominius, quid

¹⁾ v. Halm. numt. Monac. 1862. II. p. 22. — ²⁾ Grill. 20 (Halm. rh. l. m. p. 601 v. 22) exordium genus est principii et insinuationis. — ibid. v. 31. Insinuatio fit duobus modis aut dissimulatione aut circuitiorem.

agatur: videt homines faeneos in medium ad temptandum periculum proiectos.

Quaeritur, quid significetur verbis: videt homines faeneos... proiectos.' Equidem illorum verborum sententiam hanc esse puto: Optimates Pompei, quem popularium parti lege de restituenda tribunicia potestate gratificatum esse sciunt, auctoritatem minuere student; quapropter, quoniam in ipsum Pompeium impetus facere vix possunt, infestissimi eius amicis vel sociis sunt, quorum auxilio tantam assecutus est gloriam; itaque C. Manilium condemnaverunt non tam propter crimen laesae maiestatis, quam propter studia in Cn. Pompeium. Optimo igitur iure hoc loco, quo Cicero et Manilium et Pompeium inter se comparare videtur, Manilius homo dicitur faeneus, quo tauri, priusquam cum vivis hominibus, h. e. cum Pompeio certant, irritantur. —

4. (2) Asc. p. 55. Quid? Metellus summa nobilitate ac virtute, cum bis iurasset, semel privatim, iterum lege, nonne privatim patris, publicae legis religione vincetus deiectus est? ratione an vi? at utrumque omnem suspicionem animi tollit et C. Curionis virtus ac dignitas et Q. Metelli spectata adulescentia ad summam laudem omnibus rebus ornata.

Codicum scriptura, nonne privatim patris, publicae legis deiectus est? ferri non potest ideo, quod non intellegitur, a quo vocabulo duo genitivi et ,patris' et ,legis' pendeant; quam ob rem Kiesslingius et Schëllius, ut suppleretur lacuna, ,officio' in textum receperunt. Sed si imaginem libri Sangallensis deperditi spectas, quam editores in praefatione pp. XXVI et XXVII. ex ipsarum lacunarum certis intervallis redeuntium computatione exhibent, falsum esse illud ,officio' videbitur. Cum enim constet in Sangallensi libro per plura deinceps folia versuum et in pagina antica clausulas et in aversa capita marginum parte deleta evanuisse, hac in lacuna supplenda, si versum paginae aversae, qui huic, quem tractamus respondet, inspicias, pluribus litteris nobis opus est. Sunt autem duo versus hi:

1. *Pag. antica*: privatim patris, publicae legis officio

2. *Pag. aversa*: pactio est, ut neq. arbitrum delibetate peragere —

Cum igitur numeri litterarum, si eam rationem supplendi, quam editores secuti sunt, tenemus, duobus his in versibus idem non sint, aliud quid pro ,officio' recipiendum est. Et mihi in mentem venit scribere ,privatim patris publicae legis religione vincetus deiec-

tus est', qua quidem scriptura et lacuna illa suppletur et genitivi optime explicantur.

II. Propositio.

5. Quint. 4. 4. 8. (Halm. l. l. p. 22): Maiestatem minuit Cornelius, nam codicem tr. pl. ipse pro contione legit.

6. Grillius 41b (Halm. l. l. p. 22. rhetor. l. min. p. 604 v. 17). Aut certe nec narratio esse debet, sed aut a lege aut ab aliquo firmissimo argumento inchoare debet orator, sicut in Cornelia: ,Unde igitur ordiar? an ab ipse lege?'

Significatur autem his verbis lex Cornelia, ne quis nisi per populum legibus solveretur, quam ut ferret codicem Cornelius ipse legerat. Cum autem Manilium quoque adiuisse reus argue-retur, Cicero paulo post dicere potuit:

7. (48.) Arusian. p. 228: Eiusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut si me altero expedissem, tenerer altero.

III. Probatio extra causam prior.

Ciceronem in ea probatione extra causam crimina refutasse, quae Cornelio propter ea, quae post tribunatum gesserat, obiecta sunt, iam exposui. Restat, ut, priusquam fragmenta ordinemus, singulas illius probationis partes constituamus. Ac tota probatio duabus ex partibus constituisse videtur, quae separantur lacuna ab Asconio p. 58 indicata, ver. cir. MX.

Quarum partium prior de omnibus iis est, quae post Corneli tribunatum facta sunt. Quibus rebus commemoratis Ciceronem in defensione sic fere perrexisse censeo: Quamquam Manilium inter eos fuisse, qui iudicium Cornelianum disturbarunt, constat, tamen inde concludi non potest Manilium a Cornelio adductum id fecisse. Lex autem de libertinorum suffragiis abiecta nec Manilio, qui eam tulerat, nec Cornelio crimini esse potest: et quod attinet ad turbatum iudicium Manilianum omnes qui adsunt non ignorant id a Catilina et Pisone, non a Cornelio disturbatum esse; itaque ab omnibus illis criminibus Cornelius absolvi potest.

Sequitur probationis pars posterior, quae, quomodo cum antecedentibus cohaereat propter lacunam, quae apud Asconium indicatur, vix intellegitur. Sed ex iis quae sequuntur Ciceronem in ea parte attulisse haec fere existimo: Non solum Manilius vel Cornelius, verum etiam omnium eruditissimi, velut L. Aurelius Cotta, L. Licinius Crassus, Q. Mucius Scaevola in legibus, quas utiles rei

publicae fore putaverunt, ferendis interdum erraverunt, — quapropter mirum non est, quod saepe senatus consulta fiunt de legibus abrogandis. Sequitur deinde expositio de quattuor generibus, quibus per senatum aliquid statuatur de legibus; atque extrema probatione ad plane excusandos et Manilium et Cornelium exempli gratia Cicero affert P. Scipionem Africanum quoque rerum publicarum ea, quo floruit, aetate sane peritissimum errasse atque iam ab aequalibus vehementer vituperatum esse, quod passus esset senatoria subsellia a populari consessu separari.

8. (3.) Asc. p. 56: 'Legem' inquit, de libertinorum suffragiis Cornelius C. Manilio dedit. Quid est hoc dedit? An iuvit? an, ut rogaret, adhortatus est? At iuvisse ridiculum est, quasi legem aliquam aut ad scribendum difficilem, aut ad excogitandum reconditam, quae lex paucis his annis non modo scripta, sed etiam lata esset.

Ea, quae codices praebent, an tulit? an rogavit? . . . ,an tulisse' absurda hoc loco sunt eam ob causam, quod omnibus, qui iudicio aderant, notum erat legem de libertinorum suffragiis Manilium nec Cornelium tulisse vel rogasse. Itaque ante omnia vox quaedam investiganda est pro illo, 'tulit'; quod cum bene sentiret Madvigius¹⁾ (quem secuti sunt Kiesslingius et Schöllius) pro, 'an tulit', 'attulit' et pro, 'an tulisse', 'attulisse' scribi voluit; sed, num dici possit, 'legem afferre', magna moveor dubitatione. Quam ob rem aliam viam hunc ad locum emendandum ingressus sum pro, 'an tulit' scribens, 'an iuvit' (sc. in lege ferenda); qua coniectura prior difficultas sane tollitur, sed restant verba hoc loco, ut modo diximus, prorsus absurda, 'an rogavit'. Quam huius enuntiati partem Cicero fortasse sic composuit: 'an ut rogaret adhortatus est', — quae scriptura si tenetur, sententia quidem verborum obscura vix esse potest. Sed quaeritur, quid pro, 'an tulisse', quod sequitur, scribendum sit, neque enim Madvigi, 'attulisse', neque, 'at tulisse', quod sane ingeniose Baiterus proposuit, ex iis, quas protuli, causis ferri possunt; quare Baiteri vestigiis insistens, quoniam iis, quae Cominius dixerat, Cicero hoc loco contradicit, scripsi, 'at iuvisse', quae quidem mutatio, si litteras spectas, nulla fere est.

9. (4.) Asc. p. 57. In quo cum multa reprehensa sint tum imprimis celeritas actionis.

¹⁾ Madvig. append. crit. ad disp. de Q. Asconio Pediano p. 6.

10. (5.) Asc. p. 57. Petivit tamen a me praefor maxima contentione, ut causam Manili defenderem.

Post hoc fragmentum lacuna apud Asconium indicatur, quae fragmentis ab aliis scriptoribus servatis, in quibus ceterarum rerum, quas factas esse post Corneli tribunatum commemoravi, mentio fit, supplenda est.

11. (49.) Acro in Hor. serm. 1. 2. 67: Aperuit forem scalarum. Ita esse scribendum, neque, 'fores' cum Orellio, primus Halmius¹⁾ animadvertit. Scholiasta enim hoc fragmento collato demonstrari vult non alienum esse ab usu sermonis Latini substantivum, 'foris' singulari numero dictum.

12. (50.) Schol. vet. ad Juven. 7. 118. Correpsit in scalas.

13. (51.) Fortunat. 3. 5. (v. Halm: rhetor. lat. min. p. 123 v. 18).

Latet in scalis tenebrosis Cominius.

Haec tria fragmenta (11. 12. 13.) ad iudicium Cornelianum anno 688 disturbatum pertinere inter omnes constat, nam in Asconi argumento legitur: 'Et cum in scalas quasdam Cominii fugissent etc.'

14. (44.) Arus. p. 213. Das enim mihi facultatem eos, qui tum adfuerint Cornelio, nominandi. Optime sane iure quae ritur, utrum hanc ad orationis partem id fragmentum pertineat, necne: equidem imprimis verbis, 'qui tum adfuerint Cornelio' adducor, ut putem ad disturbatum illud iudicium hoc enuntiatum spectare.

15. (47.) Arus. p. 226. Quid? quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti?²⁾

Jam sequuntur fragmenta Asconiana.

16. (6.) Asc. p. 57. Nam cum tr. pl. factus duas leges in eo magistratu tulisset, unam perniciosam, alteram egregiam: quod malum visum est rem p. non laesit, sed ab illo ipso qui paraverat abiectum est, bonum autem quod excogitavit de summa rep. manet et in(perii) vestri ordinarios hostes dispulit. —

In extremo fragmento restituendo quamquam Mommseni, quem Kiesslingius quoque et Schöllius secuti sunt, rationem emendandi satis audacem esse existimo, nihil tamen inveni, quo locum leniore medela sanarem.

²⁾ l. l. p. 4. — ³⁾ Asc. p. 52. v. 18.

17. (7.) Asc. p. 58. Ab aliis ille in illum furorem magnis hominibus auctoribus impulsus est, qui aliquod institui exemplum disturbandorum iudiciorum (reip.) perniciosissimum, temporibus suis accommodatissimum, meis alienissimum rationibus cupierunt.

Propter verborum collocationem, qua cerni potest, aliis cum auctoribus magnis hominibus vix posse coniungi, Halmi ¹⁾ coniecturam recepi, qui pro aliis ab aliis proponit. Ille est Manilius; alii sunt, ut Asconius testatur, Catilina et Piso; illum furorem pertinet ad iudicium Manilianum disturbatum.

18. (8.) Asc. p. 58. Possum dicere hominem summa prudentia spectatum C. Coitam de suis legibus abrogandis ipsum ad senatum rettulisse.

C. Aurelius Cotta anno 679/75, quo consulatu cum L. Octavio functus est, exceptis iis legibus, quas de tribunicia potestate et de iudiciis privatis invita nobilitate summo populi studio ²⁾ tulerat, alias leges promulgasse videtur, quas cum tulisset de eis abrogandis ad senatum rettulit. Atque eiusdem Cottae legem de iudiciis privatis a fratre anno post abrogatam esse ipse Cicero in fragmento, quod proximo loco ponendum est, profert.

19. (9.) Asc. p. 59. Possum etiam dicere eiusdem Cottae legem de iudiciis privatis anno post quam lata sit a fratre eius abrogatam.

20. (10.) Asc. p. 59. Legem Liciniam et Mucianam de civibus regundis video constare inter omnes, quamquam duo consules omnium quos nos vidimus sapientissimi tulissent, non modo inutilem sed perniciosam rei publicae fuisse.

21. (40.) Prisc. 10. 6. 36. Qui eloquentia ceteris antecellit. Adscribi huic loco illud fragmentum potest, si quidem Ciceronem Crassi eloquentiam laudibus exornasse probabile est. —

Ad eam huius probationis partem pervenimus, qua Cicero de quatuor disserit generibus, in quibus per senatum aliquid de legibus statuatur; quae quidem pars corruptelis plena est, ita, ut de ea restituenda plane desperandum nobis fuisset, nisi alii loci Ciceroniani iisdem de generibus essent; quibus si utimur, haec verba qua ratione emendanda sint, cerni potest.

¹⁾ Halm l. l. p. 19. — ²⁾ Asc. p. 58 et 59.

Sed ad singula, quae hoc loco exponenda sunt, transgrediamur; quorum primum iam antea tractatum nunc verbis quam brevissimis repetam; cum enim Asc. p. 60 codices pro alterum, quae scriptura est vulgata, praebeant:

Quartum quae (S) ¹⁾ Quartum (M), Quantumque (P) sine ulla dubitatione cum Kiesslingio et Schöllio praeferenda codicis summae auctoritatis S scriptura et pro alterum, quartum scribendum est.

Praesto igitur nobis sunt quattuor illorum generum primum, tertium, quartum, — deest alterum. Leguntur autem apud Asconium p. 61 verba haec de tertio genere: Tertium est de legum abrogationibus, quo de genere persaepe S. C. fiunt ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quae derogaretur.

Qua in scriptura, quae est codicum omnium, nisi quod S habet quae, primum maxime offendit vox abrogationibus, quae ferri ob eam causam nullo modo potest, quia iam primum genus de legibus abrogandis est, — id quod et Manilius et Madvigius iam animadvertunt. Quare Manilius hoc loco pro abrogationibus derogationibus in textum recipere voluit et Büchelerus excidisse post tertium est verba derogari legi obrogari quo derogetur arbitratus est. Neque tamen hoc verum esse puto. Proficiscendum autem nobis est duobus a locis Ciceronianis: 1. de rep. III. 22. huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. 2. Cic. ad Att. 3, 23, 3. si quid in hoc rogatione scriptum est, quod per leges plebisvescitate promulgare, abrogare, derogare, obrogare sine fraude sua non liceat, non licuerit; quodve ei qui promulgavit, abrogavit, derogavit, obrogavit, ob eam rem poenae multaeve sit, eius hac lege nihil rogatur.

Vides igitur his locis eadem tria genera — excepto quarto — Ciceronem distinguere, quae loco quem tractamus distinguuntur. Abrogandi autem genus quid sit a Cicerone exemplo collato explicatum est, lex enim, quae abrogatur, tollitur, ²⁾ sed quaeritur, quid significetur notionibus et derogandi et abrogandi. Et quod attinet ad priorem derogandi notionem apud Ulpianum l. l. verba inveniuntur haec: (lex) derogatum, i. e. pars primae tollitur; quae quidem explicatio prorsus respondet verbis, quae Cicero in tertio de re publica libro facit de genere derogandi: neque derogari ex hac aliquid licet. Quae cum ita sint accuratissime examinandum est exemplum, quod, ut illustrentur ea, quae ad tertium genus spectant, Cicero affert: neque enim aliter cerni potest, utrum

¹⁾ v. Kiessl. et Schöllius praef. p. XXX et XXXI. — ²⁾ Ulpian. ed. Böcking. p. 4. § 3.

recte Manutius et Büchelerus suspicati sint, annon. Jam vero quaeritur, quo spectet illud senatus consultum, quod de lege Calpurnia factum est; atque equidem hac in quaestione plane assentior Langio et Zumptio,¹⁾ quorum uterque senatus consultum illud pertinere ad legem Fabiam de sectatorum numero²⁾ existimat qua quidem lege — id quod consulari in lege de ambitu omissum, erat — impediabatur, quominus nimia esset sectatorum, qui candidato in honorum petitione auxilio erant, multitudo.³⁾ Atque ex eo cernitur, quoniam lege Fabia nullam sublatam esse legis Calpurniae partem constat, de genere derogandi hoc loco Ciceronem non disseruisse, quare id, quod Manutius et Büchelerus proposuerunt nullo modo ferri potest. Immo vero novi aliquid legi Calpurniae additum est, de quo usque ad illud tempus nihil cantum erat.

Cum igitur constet hoc loco neque de abrogandi, neque de genere derogandi ab oratore dictum esse, id solum, si quidem euuntiatum e tertio libro de republica collatum spectas, restat, ut Ciceronem de *obrogatione* verba fecisse credamus.

Liceat autem paulo accuratius exemplo addito exponere, obrogare legi cuidam quid sit: Cicero in prima Philippica 9. 23. verba facit haec: 'Quid? Quod obrogatur legibus Caesaris, quae iubent ei, qui de vi itemque ei, qui maiestatis damnatus sit aqua et igni interdiceret? quibus cum provocatio datur nomine acta Caesaris rescinduntur?' 'Significatur autem his verbis lex Antonia de provocatione, qua decretum est, ut et de vi et maiestatis lege Julia damnati ad populum provocarent, si vellent. Nova igitur pars lege Antonia legi Juliae quasi additur eadem ratione, qua legi Calpurniae lege Fabia.

Quam ob rem Ciceronem loco, quem tractamus, scripsisse puto: tertium est de legum obrogationibus; quo de genere⁴⁾ persaepe S. C. fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia Restant verba duo, quae derogaretur.'

Quae quidem codicum est scriptura; neque ullo modo ex iis, quae modo dixi, verbum, 'derogaretur' ferri potest, itaque repu-

¹⁾ Range: *Hdm. Mitberth.* III. p. 224. Zumpt: *Criminalrecht* II. 2. p. 249. etc. —
²⁾ v. Cic. pro Mur. 34. 71. — ³⁾ Ceterum de anno, quo lex illa Fabia promulgata sit inter Zumptium et Langium disceptatio sit, dicit enim Zumptius p. 249: 'Da das Jahr 66 von den Kämpfen um das Consulat und den damit zusammenhängenden Proceſſen der anfangs erwählten Consuln eingenommen ist, so ſetze ich diesen Senatsbeſchluſs in das Jahr 689/65.' Equidem hanc Zumptii ratroinationem reprobandus Langio assentior, cui propter illos ipsos tumultus, qui consularibus comitiis anno 688 orti sunt, eodem anno legem Fabiam promulgatam esse persuasum est.

dianda est coniectura, quo derogaretur, quam Büchelerus cum Kiesslingio et Schöllio communicavit. Attamen audacius sane esset extemplo pro 'derogaretur' 'obrogaretur' in textum recipere, vel cum Lambino pro 'quo' 'cui' = 'ut ei' scribere. — Mihi hoc quoque loco in mentem venit, quod a Kiesslingio et Schöllio in editionis praefatione p. XXV commemoratur in codice Sangallensi deperdito per plura deinceps folia versuum et in pagina antica clausulas et in aversa capita evanuisse. Quare lacunam hoc loco statuendam esse et verba in codice sic exstitisse existimem
,de ipsa lege Calpurnia quo de
,rogaretur.

Est sane lenis mutatio pro *que* codicum *quo* scribere, sed quaeritur, qua ratione lacunam illam, quam is, qui librum descripsit, negligenter omisit suppleamus. Fortasse (nam aliquid certi hac in re dubia constitui vix potest) Cicero scripserat:
,de ipsa lege Calpurnia, quo decretum est, ut ei ob,rogaretur.'

Desiderari igitur, *alterum genus de legum derogationibus* ex iis, quae exposui, negari vix potest.
Ordinanda autem tria sunt illa, a quibus profecti sumus, fragmenta sic:

22. (11.) Ascon. p. 60. Quattuor omnino genera sunt iudices, in quibus per senatum more maiorum statuatur aliquid de legibus. Unum est eius modi placere legem abrogari: ut Q. Caecilio M. Junio cos., quae leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur.¹⁾

23. (11.) Ascon. p. 61. Tertium est de legum obrogationibus: quo de genere persaepe S. C. fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quo decretum est, ut ei obrogaretur.

24. (11.) Ascon. p. 60. Quartum, quae lex lata esse dicatur, ea non videri populum teneri: ut L. Marcio Sex. Iulo cos. de legibus Livii.²⁾

25. (12.) Ascon. p. 61. P. Africanus ille superior dicitur non solum a sapientissimis hominibus qui tum erant, verum etiam a se ipso saepe accusatus esse, quod cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consensu senatoria subsellia separari.³⁾

¹⁾ Range: *Bl. N. III.* p. 62. — ²⁾ Range: *Bl. N. III.* 102—105. — ³⁾ Asc. pp. 61. 62.

Anno 560/194 id factum esse constat, neque tamen quibus ludis id factum sit dici potest, ideo, quod scriptorum, quibus Asconius hac in re describenda auctoribus usus est, sententiae inter se discrepant. Dicit enim

- a. Valerius Antias id esse *ludis Romanis* factum.
- b. auctor quidam, cuius nomen apud Asconium excidisse recte Marklandus¹⁾ cognovit, id esse factum ludis votivis, quos Scipio et Ti. Longus fecissent. Ceterum Marklandum, qui iis, quae Liv. XXIX. 22. de ludis quibusdam votivis ab illis consulibus factis affert, permotus Clodium Licinium illum auctorem fuisse censet, verum vidisse arbitror.
- c. Cicero in oratione quam habuit de haruspicum responso (12. 24) affert ludis *Megalensibus* id institutum esse.

IV. Argumentatio.

26. (53.) Quint. 7. 3. 35. Maiestas est in imperii atque in nominis populi Romani dignitate.

27. (32.) Prisc. 7. 3. 9. Ex promulgatione trinum nundinum dies ad ferendum potestasque venisset.

28. (33.) Quint. 5. 13. 26. codicem attigit.

29. (13.) Asc. p. 62 iubeat discedere:

Est utique ius vetandi, cum ea feratur, quamdiu transferuntur; dum privati dicunt, dum . . . , dum sitella defertur, dum aequantur sortes, dum sortitio fit, et si qua sunt alia huius generis.

Me hanc scripturam cum Eigenbrodtio, qui ipse Sigonium hoc in loco emendando secutus est, tenere iam antea exposui.

30. (14.) Asc. p. 63. Unum tamen quod hoc ipso tr. pl. factum est praetermittendum non videtur. Neque enim maius est legere codicem, cum intercedatur, quam sitellam ipsam de ipso intercessore deferre, nec gravius incipere ferre quam perferre, nec vehementius ostendere se laturum invito collega quam ipsi collegae magistratum abrogare, nec criminiosius tribus ad legem accipiendam quam ad collegam reddendum privatam intro vocare: quae vir fortis, huius collega, A. Gabinius in re optima fecit

¹⁾ praet. ad Cic. quattuor oratt. ed. Wolf. p. LXX. —

omnia; neque, cum salutem populo Romano atque omnibus gentibus finem diuturnae turpitudinis et servitutis afferret, passus est plus unius collegae sui quam universae civitatis vocem valere et voluntatem.

31. (15.) Ascon. p. 64. At enim de corrigenda lege rettulerunt.

32. (31.) Arus. p. 224. Nihil senatui detraxisse Cornelium.

33. (16.) Ascon. p. 64. Iidem, (nisi) haec ipsa lex quam C. Cornelius tulit obstitisset, decrevisset id, quod palam iam isti defensores iudiciorum propugnauerunt, senatui non placere id iudicium de Sullae bonis fieri.¹⁾ Quam ego causam longe aliter praetor in contione defendi, cum id dicerem, quod idem iudices postea statuerunt, iudicium aequiore tempore fieri oportere.

His verbis Faustum Sullam L. Corneli Sullae dictatoris filium significari Asconius in adnotatione commemorat. Accusatus autem est anno 688/66 de pecuniis residuis, quas pater, ex vectigalibus et ex aerario sumpserat, neque reddiderat. Neque vero condemnatum esse Faustum Sullam ex verbis cerni potest, quae Cicero fecit in oratione pro Clu. 34. 94. „Nuper apud C. Orchivium collegam meum locus ab iudicibus Fausto Sullae de pecuniis residuis non est constitutus: non quo illi aut ex legem esse Sullam, aut causam pecuniae publicae contemptam atque abiectam putarent; sed quod, accusante tribuno plebis, condicione aequa disceptari posse non putarunt.“

Optimo iure ambigi potest, quo modo id fragmentum cum antecedentibus cohaereat: equidem hac ratiocinatione Ciceronem usum esse puto: Senatus, nisi ea lex a Cornelio lata esset, Faustum Sullam legibus solvisset ac decrevisset sibi disciplicere id iudicium de Sullae bonis fieri!

Verbis, quae Asconius p. 64 facit: „Quia defuerat superioribus temporibus in aerario pecunia publica, multa et saepe eius rei remedia erant quaesita; in quibus hoc quoque, ut pecuniae publicae, quae residuae apud quemque essent, exigenterentur“ — „adductus proximo loco ponendum esse censeo fragmentum:

34. (39.) Aquila Romanus 16. Refertum (sc. aerarium) tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit ipsi sciunt.

¹⁾ Asc. p. 64. Range: 5. 31. III. pp. 221. 222.

35. (17.) Asc. p. 65. Antea vero quam multarum rerum iudicia sublata sint, et quia scitis praetereo et ne quem in iudicium oratio mea revocare videatur.¹⁾

Haec verba cum iis quae antecedunt coniungere difficile sane est. Atque equidem hanc sequor ratiocinationem: Quoniam post legem Variam de maiestate latam senatus consulto decretum erat, ne cetera iudicia, dum bellum cum sociis esset, exercerentur, fortasse Cicero dixerat, praetores vel iudices quaestionis eis legibus, ex quibus iudicia exercere debuerant, esse solutos.

V. Probatio extra causam posterior.

36. (17.) Asc. p. 65. Non Cn. Dolabella C. Volcacium, honestissimum virum, communi et quotidiano iure privasset.

De C. Volcacio viro illo honestissimo neque apud Ciceronem neque apud alium scriptorem — excepto hoc uno loco Asconiano — legi.

37. (18.) Asc. p. 66. Non denique homo illorum et vita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna honorum Cn. Corneli possessionem ex edicto suo P. Scipioni, adulescenti summa nobilitate, eximia virtute praedito, non dedisset.

38. (46.) Arus. p. 226. Cur nunc redeant, si tunc gratiae concesserint.

Id mihi ex optimatum sententia a Cicerone dictum esse videtur, quibus invitis legem de edicto praetorio Cornelium pertulerat.

39. (34.) Marc. Cap. p. 161 ed. Eyssenhardt divisores, quos honoris sui ministros esse voluerat lege ambitus vellet affligere.

40. (19.) Asc. p. 66. Quare cum hoc populus Romanus videret et cum a tribunis plebis doceretur idem, nisi poena accessisset in divisores, extingui ambitum nullo modo posse, legem hanc Corneli flagitabat, illam quae ex S. C. ferebatur repudiabat, idque iure, ut docti sumus duorum consulum designatorum calamitate.

¹⁾ Asc. p. 67.

doceretur *idem*¹⁾ cum Halmio²⁾ scripsi propter lacunam in libro S indicatam.

41. (20.) Asc. p. 66. Ut spectaculum illud re et tempore salubre ac necessarium, genere (et) exemplo miserum ac funestum videremus.

42. (38.) Prisc. 8. 15. 82. Circumitis rostris eicerentur lapidibus homines:

43. (52.) Boëtius de definitione p. 659 ed. Bas.²⁾ Replicate, ipsa sunt, legite ut legebatis, hinc intellegitis nulla tenuissima suspicione describi aut significari Cornelium.

Duo haec fragmenta (42 et 43) ad tumultum spectare videntur, qui comitis legi Calpurniae ferendae habitis ortus est.

44. (21.) Asc. p. 66. Quid ego nunc tibi argumentis respondeam posse fieri, ut alius aliqui Cornelius sit, qui habeat Philerotem servum; vulgare nomen esse Philerotis, Cornelios vero ita multos, ut iam etiam collegium constitutum sit.

45. (22.) Asc. p. 67. At enim extremi ac difficillimi temporis vocem illam C. Corneli consulem mittere coëgisti: qui rem (p.) salvam esse vellent, ut ad legem accipientem adessent.

Haec ex sententia accusatoris Cicero dixit, ut deinceps refelleret.

VI. Peroratio.

Incipit haec ultima orationis pars ab adhortatione ad iudices. Rogat enim Cicero atque orat, ne iudices eorum quibus Pompeius, qui tum in Asia bellum Mithridaticum gessit, et Crassus, qui iudex sedebat in Cornelium, lege de tribunicia potestate operam dederint immemores, omnino ab illius potestatis defensione absistere velle videantur. Quae admonitio ut gravior fiat, defensor non solum de adversis temporibus, quibus illa potestas et constituta et restituta est, loquitur, verum etiam multas leges a tribunis plebis promulgatas, quibus ostendatur, quot emolumenta plebi e tribunicia potestate nata sint, enumerat. Deinde optimatum eos, qui iudicio aderant, adloquens inimicissimos illos semper contendit fuisse et plebi et tribunis, idque sine ulla iusta causa, quoniam ipsa plebs leges tribunicias, quibus concordia ordinum restituta esset, non

¹⁾ v. Halm. l. l. p. 20. — ²⁾ v. Halm. l. l. p. 11 equidem doleo, quod Boëtius praesto mihi non fuit.

modo accepisset sed etiam efflagitasset. Ceterum extrema peroratio deest excepto uno quod exstat apud Arusianum p. 227 fragmento, cuius verba haec sunt: „Satius hominem miserum atque innocentem eripi P. R., expelli patria, divelli a suis.“ Ex totius autem enuntiati tenore Ciceronem extrema oratione verbis gravissimis arbitror ab iudicibus petivisse, ut Cornelium absolvent. — Ad disponenda singula fragmenta transeo.

46. (58.) Quint. 9. 2. 55. Cominius autem — tametsi ignorem mihi, iudices:

Verbis quae apud Quintilianum sequuntur „abit enim causa in laudem Cn. Pompei“ permotus proximo loco ponendum esse censeo:

47. (23.) Asc. p. 67. Aiunt vestros animos propter illius tribuni plebis temeritatem posse adduci, ut omnino a defensione illius potestatis abalienentur; qui restituerunt eam potestatem, alterum nihil unum posse contra multos, alterum longe abesse?

48. (24.) Asc. p. 67. Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno XVI. post reges exactos propter nimiam dominationem potentium secederent, leges sacratas ipsi sibi restituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie Mons Sacer nominatur, in quo armati consederant, aeternae memoriae causa consecrarent. Itaque auspicato postero anno tr. pleb. comitiis curiatis creati sunt.

49. (25.) Asc. p. 69. Tum interposita fide per tres legatos amplissimos viros Romam armati revertuntur. In Aventino consederunt; inde armati in Capitolium venerunt; decem tr. pl. (per) pontificem, quod magistratus nullus erat, creaverunt.

50. (26.) Asc. p. 60. Etiam haec recentiora praetereo: Porciam principium iustissimae libertatis; Cassiam, qua lege suffragiorum vis potestasque convaluit; alteram Cassiam, quae populi iudicia firmavit.

Unam solam legem Porciam exstitisse his ex verbis constare videtur, contra de rep. 2. 31. 54: „Neque vero leges Porciae, quae tres sunt trium Porciorum, ut scitis, quicquam praeter sanctionem

attulerunt novi“ — tres fuisse leges Porcias Cicero affirmat: h. l. singulari numero utitur, aut quia prima trium illarum legum tribunicia erat, aut quod omnes tres quasi unius legis partes esse videbantur. — Ceterum de legibus Cassiis Asconius disserit p. 69.

51. (27.) Asc. p. 69. Qui non modo cum Sylla, verum etiam illo mortuo semper hoc per se summis opibus retinendum putaverunt, inimicissimi C. Cottae fuerunt, quod is consul paulum tribunis plebis non potestatis sed dignitatis addidit.

52. (28.) Asc. p. 70. Quamdiu quidem hoc animo erga vos illa plebs erit, quo se ostendit esse, cum legem Aureliam, cum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitavit.

53. (29.) Asc. p. 70. Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia indicarent, hominem dis ac nobilitati perinvisum Cn. Pompeium causam lege Varia de maiestate dixisse.

54. (Halm l. l. p. 22.) Arus. p. 227. Satius hominem miserum atque innocentem eripi P. R.¹⁾, expelli patria, divelli a suis.

Ordinatis igitur prioris orationis fragmentis, septem supersunt fragmenta, quae, quamquam ad hanc orationem pertinere constat, tamen inseri vix possunt. Sunt autem haec:

55. (41.) Arus. p. 227. Sed ab Urbe dierum iter afuerunt complurium.

Hanc scripturam unam esse veram Nipperdey²⁾ assentior.

56. (42.) Arus. p. 216. Quid enim? Mihi certamen est cum accusatore aut contentio?

57. (45.) Arus. p. 213. Facite, ut facitis, qui ad causam adestis.

58. (43.) Arus. p. 226. Demi me dius fidius de his ornamentis aliquantum malim.

59. (35.) Prisc. 7. 17. 86. Quae intermissa compluris annos.

60. (37.) Prisc. 10. 7. 40 = 10. 9. 55. Coeptum igitur per eos, qui agi volebant, desitum est per hunc, qui decessit.

¹⁾ vel, ut Halmius proponit: „rei publicae“, — ²⁾ v. Philol. III. p. 1

b. Oratio posterior.

Supersunt posterioris orationis pro Cornelio 18 fragmenta: neque tamen totius orationis dispositio eadem ratione, qua prioris orationis constitui potest. Nam primum Asconium, quem in ordinandis prioris Cornelianae fragmentis duces atque auctores sequamur, huius posterioris sola quinque praebere videtur fragmenta, quae de una eademque re esse videntur. Testes enim, qui in Cornelium testimonia dixerunt in ea orationis parte, quae quinque illis fragmentis continetur, a Cicerone refelluntur; itaque nihil ex iis de ipsa orationis dispositione iudicari potest. Neque vero de 13 fragmentis, quae ab aliis scriptoribus servata sunt, dici potest, et qua ratione disponenda sint et quo modo cum Asconianis illis quinque fragmentis cohaereant. Quare de dispositione posterioris Cornelianae restituenda desperandum est. — Attamen tria imprimis haec in oratione a Cicerone tractata esse ex iis, quae supersunt, concluditur.

Primum enim refelli optimatum nobilissimos, qui in reum testimonia dixerant Asconi verbis quae pp. 70 et 71 leguntur — 'M. Lucullum et M. Lepidum significat. Quinque enim consulares, ut iam diximus, in Cornelium testimonium dixerunt: Q. Catulus, Q. Hortensius, Q. Metellus Pius pont. max. quos hac secunda oratione tractat et duo, qui nondum dixerant, quos nunc significat, Lucullus et Lepidus' — constat.

Deinde autem Cicero de se ipso videtur verba facere; sese per totam vitam divitias, quibus ipsi Africani et Laelii a mercatoribus essent superati, parvi aestimasse, nulli alii rei nisi rei publicae salutis conservandae consuluisse, sua sponte neque ad plebis neque ad optimatum partes inclinctum sola misericordia adductum Cornelii miseri atque innocentis defensionem suscepisse affirmat.

Sequitur tertia pars, quae propter fragmentorum, e quibus constat, formam et sententiam, *peroratio* nominari potest.

Quibus rebus praemissis ad ordinanda fragmenta transeo.

I. 1. (1.) Aquila Rom. c. 10. = Marc. Cap. p. 174. Pugnem aperte contra nobilissimorum hominum voluntates? Studia, consilia cogitationesque eorum aperiam?

Hoc fragmentum primo loco ponendum esse iam recte Orellius cognovit; aperiuntur enim in ea orationis parte, quae sequitur, nobilissimorum hominum studia.

2. (2.) Cic. orat. 67. 225 = Quint. 9. 4. 123. O callidos homines! O rem excogitatum! O ingenia metuenda! —

Diximus. Testes dare volumus. Quem, quaeso, nostrum refellit, ita vos esse facturos?

Huius e fragmenti sententia prorsus constare videtur proximo loco disponenda esse quinque fragmenta, quae apud Asconium inveniuntur.

3. (3.) Asc. p. 70. Num in eo, qui sint hi testes haesitatis? Ego vobis edam. Duo reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciae potestatis. Pauci praeterea adsentatores eorum atque adseculae subsequuntur.

Verborum, inimici tribuniciae potestatis' sententia adductus quarto loco ponendum esse arbitror.

4. Grill. 5. (Halm l. l. p. 22): Scipio tantus vir, qui productus a tribuno pl. eos dixit iure caesos videri. Favore nobilitatis hoc fecit, quia et ipse ex optimatibus, non sicut in Cornelianis Tullius: hic mos iam apud illos antiquos et barbatus fuit ut persequerentur populares homines.

Sequuntur fragmenta, quibus Cicero in Q. Catulum plebi et tribunis inimicissimum invectus est.

5. (4.) Asc. p. 71. Sed si familiariter ex Q. Catulo sapientissimo viro atque humanissimo velim quaerere: utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Corneli, an — non dicam P. Sulpici, non L. Saturnini, non Gai Gracchi, non Tiberi, neminem quem isti seditiosum existimant nominabo, sed avunculi tui, Q. Catule, clarissimi patriaeque amantissimi viri? quid mihi tandem responsum putatis?

6. (5.) Asc. p. 71. Quid? avunculus tuus clarissimus vir, clarissimo patre avo maioribus, credo silentio favente nobilitate, nullo intercessore comparato populo Romano dedit et potentissimorum hominum collegiis eripuit cooptandorum sacerdotum potestatem.

Inverso ordine haec duo fragmenta (5 et 6) apud Asconium exstant. Sed ordinem, quem institui, unum esse verum ex iis, quae ipse Asconius p. 71 adnotat, concludi potest: sunt enim illius verba haec: 'Hoc (i. e. fragmentum illius orationis sextum) egere enarratione, quia hoc loco nomen non posuit, quis fecerit, ei demum videri potest, qui oblitus sit ante minus XX versus haec (de) eo

ipso Ciceronem dixisse. — Ceterum de eodem Domitio Cicero proximo fragmento haec affert:

7. (6.) Asc. p. 71. Quid? idem Domitius M. Silanum, consularem hominem, quemadmodum tr. pl. vexavit?

8. (7.) Asc. p. 72. Haec est controversia eius modi, ut mihi probetur tr. pl. Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius.

Hunc ad locum adnotandum est M. Terpolium tr. pl. 676/87 optimatibus se dedisse.

II. Sequitur illa orationis pars, qua Cicero de se ipso loquitur.

9. (8.) Cic. or. 70. 232. = Quint. 9. 4. 14. = Prisc. 10. 9. 49. = Non. s. v. venalicii. Nam neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venalicii mercatoresque superarunt, neque vestis aut caelatum aurum et argentum, quo nostros veteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoque vicerunt; neque vero ornamenta ista villarum, quibus L. Paullum et L. Mummius, qui rebus his Urbem Italiamque refenserunt, ab aliquo video perfacile Deliaeo aut Syro potuisse superari. —

10. (Halm. l. 1. p. 22). Arus. p. 251. Quid me apud equites Romanos offendisse dicebant?

III. Peroratio. 11. (10.) Arus. p. 216. Si vos huius fortunae paucorum odio adiudicaveritis.

12. (11.) Arus. p. 224. Ad miserimum crudelissimumque dominatum dedi patiamini.

13. (12.) Arus. p. 226. Quam diligentes libertatis vos oporteat esse

14. (15.) Serv. ad Aen. 11. 708: Ne fraudi sit ei, qui populum ad contentionem vocarit.

15. (13.) Arus. p. 226. Qui commodis p. R. lingua dumtaxat ac voluntate consuluit. —

Sed praeter haec fragmenta, quae disponere modo conatus sum, tria exstant quae certo aliquo vinculo cum ceteris coniungi non possunt.

16. (9.) Prisc. 18. 2. 19. = Arus. p. 209. Quis tam abundans copiis.

17. (14.) Arus. p. 227. Expelleret a dispensantibus.

18. (Halm. l. 1. p. 22). Valer. Probus de nom. exc. v. Keil gr. L. IV. p. 212. Minister cotidiani negotii videtur esse, ministrator autem vel administrator in re publica vel saepius quid faciens. Itaque Cicero oratione secunda pro Cornelio: quare hominem impugnare non desinunt nisi remotis ministratoribus. —

IV.

De defendendi ratione, qua Cicero his in orationibus usus est.

Rationem Corneli defendendi, quam Cicero priore in Cornelia adhibet, diversam esse ab ea, qua in posteriore est usus, constat. Ipsa enim causa priore iam Cornelia, qua omnia crimina refutantur, quae obiecta sunt Cornelio, perorata est. Quodsi posteriorem spectas Cornelianam res longe aliter se habet; neque enim de causa maiestatis in iis, quae supersunt, quidquam legitur, neque nova argumenta ad excusandum reum afferuntur: contra superbia optimatum vituperatur, plebs et tribuni, sicut iam in prioris Cornelianae peroratione, summis laudibus exornantur. Itaque non tam ipsum Cornelium, quam popularium partes, quarum Cornelius erat, posteriore Cornelia esse defensas existimem. Vides igitur posteriorem Cornelianam similem fuisse Sestianae, qua, P. Sesti causa a Q. Hortensio perorata, Cicero de rei moribus ac studio conservandae salutis communis loquitur.

Corrigenda.

Pag. 10. v. 14.	pro	,videmus' lege	,vidimus'.
- 17. - 2.	-	²⁾ ,fuerat' -	¹⁾ ,fecerat'.
- 18. - 19.	-	,sententiarus' lege	,sententiarum'.
- 20. - 3.	-	,enuntianum' -	,enuntiatum'.
- 23. - 23.	-	,commota' -	,summota'.
- 25. - 10.	-	⁴⁾ -	³⁾ -
-	adn. v. 2.	addendum est	⁴⁾
- 28. v. 5.	pro	,Manicio' lege	,Minucio'.
- - 33.	-	,comingi' -	,coniungi'.
- 80. - 17.	-	,interat' -	,intererat'.
- 31. - 13.	-	,ob' -	,ab'.
-	adn. v. 3.	pro ,confitor' ,profitor' lege	,confiteor' ,profiteor'.
- 38. v. 19.	pro	,tribunata' lege	,tribunatu'.
- 42. - 7.	-	,quo' -	,qua'.
- 47. - 29.	-	,Calpurnia' -	,Calpurnia'.
- 49. - 29.	-	,disciplicere' -	,dispicere'.



